VOCABVLARIVM PSEVDOMYSTICVM,

AD VSVM IVVENTVTIS
EX INTEGRIORVM PVRIORVMQVE SVBSELLIORVM ELENCHO
ALPHABETICE CONGESTVM

ALTDORFI D. XIX. SEPT. MDCC XIV.

DISPVTATIONIS PVBLICAE VICEM
OBIBIT,

PRAESIDE

CHRISTOPHORO SONNTAGIO,

SS. THEOL. D. ET P.P. PRIMAR.
ECCLESIAE ANTISTITE,

ET RESPONDENTE

IOH. LEONHARDO DIEDLEIN,

HEILSBRVNNENSI.

ALTORFII,
LITERIS KOHLESIANIS.

58700 (19)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

INTRODVCTIO, RATIONEM INSTITVTI CONTINENS.

QVanquam apinarum Pſeudomyſticarum ſyrmatibus & Scholæ & Eccleſiæ hac noſtra ætate plus ſatis perſonant, ut adeo ſacris dedita literis juventus, ſi quidem ſibi non male conciliata fuerit, & profunditates Satanæ pervidere didicerit, internoſcere facile poſſit, quantum æra lupinis diſtent; majoris tamen evidentiæ & perſpicuitatis in gratiam a multis deſiderata eſt compendiaria quædam Sylloge, uno quaſi intuitu vel omnes, vel notiores certe ac potiores iſtius furfuris ac farinæ affanias repræſentans. Cum enim verſutiæ ac perverſitates iſtæ dogmaticæ latiſſime pateant, neque intra ſolos Germaniæ limites definiantur horum metallorum artifices ac operarii; idcirco plures ex numero diſcentium a penitiori ejusdem Theoſophiæ perſpicientia ipſamet controverſiarum amplitudo deterret. Quo nomine epitomicas harum adumbrationes & comprehenſiones deſiderari & expeti paſſim audias. Fami huic utcunque medicaturus, atque ingenia Cultorum ſanctiorum imprimis ad cauta & provida exercitatiorum partium munia extimulaturus, ratione in conſilium adhibita, induxi animum, TABELLAM QVANDAM ALPHABETICAM, LIBELLVM ALPHABETICVM, ſeu mavis, VOCABVLARIVM PSEVDOMYSTICVM, ex Officinis recte ſentientibus depromptum, congeſtum atque digeſtum, nec ſola tamen verbalia & λεξικά, verum etiam realia ſubinde & definitiva, ipſis hac vice offerre, ac introitum ad ſacra iſta Pſeudo-teleſtica, quibus Iſraelem noſtri temporis tantopere confudit ſpiritus vertiginis, &, ingratitudinem noſtram erga Reformationem Lutheri juſte vindicans, tentari permiſit DEVS, qualemcunque pandere & explicare. Equidem Pſeudomyſticorum nomine utplurimum conſulto utar. Etſi enim non rejicio Theologiam Myſticam, *in ſtatu eſſentiæ* ſeu *qualis de jure eſſe debeat*, conſideratam; reprobo tamen eandem *in ſtatu exiſtentiæ*, & *qualis de facto a prima ſtatim origine extitit.* Amplector *objecta Myſtica*, quatenus ſunt ἔγγραφα, & intra oleas Verbi divini ſubſiſtunt; repudio autem *diſciplinarem eorum tractationem*, qualis longe lateque in hac ſchola obtinet, utpote quæ metas iſtas manifeſte ac putidiuſcule transgreditur. Laudo margaritas ſub ſtercore & fimeto latentes; ſed fimetum ipſum mihi ſordet, idque tanto impenſius, quanto plures hominum doctiſſimorum reperio fimetum iſthoc præ margaritis arripuiſſe, etiamnum arripere, & non ſine ingenti Eccleſiæ damno impoſterum aſtu Satanæ arripere poſſe. Igitur ceu Paulus, utut veritatem ipſam, in iniquitate Theologiæ gentilium contentam, non neget, iniquitatem tamen ejus paſſim reprehendit: ita in præſenti impuras quasdam Myſticorum ψευδολογίας, quibus fonticulum Iſraelis turbaverunt, detegere & taxare conſtitui. Quo nomine præliminarem animi notionem, quam circa tam arduum negotium formavi, ſic evolvo; CVIVSCVNQVE THEOLOGIAE FAL-

SVM PRINCIPIVM, FALSVM MEDIVM, ET FALSVM FINEM EVIDENTIVS DEPREHENDIMVS, AC MANIBVS PALPAMVS, ILLAM SVMMO CAVERE STVDIO DEBEMVS. A, THEOLOGIAE PSEVDOMYSTICAE &c. ERGO. Major ſua radiat luce. Minor itidem ſic pateſcit. Nempe enim falſum, quod hic regnat, & latifundia Pſeudomyſticorum undiquaque occupat, principium eſt hujusmodi: *Quicquid ſpiritus internus dicit, illud eſt verum*; cui ſeſe philadelphice asſociat alterum: *Quicquid omnes religiones ſpiritui interno convenienter aſſerunt ac docent, illud eſt verum.* Falſum medium nihiloſecius liquet. Neque enim id vel miniſteriale Verbi & Sacramentorum, vel fidei divinitus ordinatum eſt; verum triplex iſta via, quæ hominis purgationem ſine Sanguine CHRISTI, illuminationem ſine Verbo DEI, & unionem cum DEO, ſine fide obtinendam, hominibus perſuadet. Huc facit, quod ſpirituales iſti Magiſtri falſam CHRISTI nativitatem, quæ proprie non in præſepio, verum in corde, falſam paſſionem & mortem, quæ proprie non in cruce, verum in corde, falſamque reſurrectionem, quæ proprie non e ſepulcro, verum in corde fiat, tradere ac docere conſueverint, ſenſuque literali Locorum Biblicorum, quibus ſalvifica illa dogmata inculcantur, enervato, meras nobis allegorias, nucleo ſublato, mera putamina relinquant. Falſus denique finis conſpicitur in Perfectiſmo Deificatorio, ab hiſce Præceptoribus intento. Mens enim noſtra in mentem divinam, & voluntas noſtra in voluntatem divinam, unde effluxit, transmutanda omnino ſtatuitur. Cui transformationi eſſentiali impuriores quidam eorundem ſuffraganei hunc inſuper animæ ſtatum affingere non dubitant, quod exterior homo, illæſo interiore, quidvis, utcunque prohibitum, patrare queat; ſiquidem vel cogitationes blaſphemæ ad perfectionem ipſi conducant, ita præeunte Anteſignano Mich. Molinoſo *Manuduct. lib. I. cap. X. n.* 61. *ſeqv.* Horribiles & acerbos fateamur fructus hoſce dogmaticos, oportet, ex quibus, vel ſingulis, vel univerſis, ὀμφακοφόρους iſtas Arbores ſubinde cognoſcere fas eſt, & exiſtimare nemo non cordatiorum poteſt. Cum itaque portentiloquiorum ejusmodi capita maxime percrebeſcentia Diſquiſitione hac complecti ſit animus, equidem faciliori methodo non reperio, qui illam exequar inſtituti mei rationem, quam ſi, ordinis alphabetici tenorem ingreſſus, primas quaſi lineas oſtendam hujus matæologiæ, e monumentis proborum hujus rei æſtimatorum, ſinceræ noſtræ Sionis Doctorum, maxime Löſcherianis, Jägerianis atque Kühnianis, adductas, easdemque cautelæ bonarum mentium, ne ſeſe in errórem induci patiantur, Chriſtiana vigilantia dicatas, ſacrarem. Antequam autem hoc paro, amuſſitatum judicium B. Domini a Seckendorf de Theologia Myſtica lubet attexere im Chriſten-Staat lib. III. cap. VIII, 7. Es iſt nicht zu laugnen 1) daß in gemeldten Büchern (derer Myſticorum) die groben Irrthümer/ die wir Krafft GOttes Worts durch unſere Confeſſion verwerffen/ ſonderlich die Behauptung des Meß-Opffers/ und des Verdienſtes der Wercke/ und des Mönch-Lebens mit unterlauffen/ 2) daß viel harte und ungewöhnliche Redens-Formulen gebraucht werden/ welche wieder die Art der göttl. Schrifft/ die unter andern der Einfalt ſich befleißiget/ dermaſſen verduncklet/ rauh und ungeheuer ſind/ daß ſie dem Leſer einen Abſcheu machen/ und iſt ein nichtswürdiges/ ungeſchmacktes und faſt grobes Anſinnen/ man müſſe ſolche (gleichſam Rothwelſche) Sprachen lernen/ und den Verſtand vom H. Geiſt gewarten/ wie man in etlichen Phantaſten und unbeſcheidener Eiverer Scartecken/ welche dieſes alchymi-

ſtiſche

kiſch-Gold höher / als das wahre in der Schrifft befindliche/achten/ ja eben auf ihre thörichte Goldmacherey dieſe Fratzen verdrehen und deuten / mit Verdruß hören muß. Dann wir haben genug an der H. Schrifft zu lernen/ auch deren herrliche und ſtattliche Auslegungen / alte und neue / überflüßig in Händen / und erfordert GOtt von den Chriſten nicht / daß ſie dunckeler machen ſollen / was er uns / ſo viel zur Seeligkeit nöthig/ klar gemachet: Das übrige mögen ſie bedencken und ſtudiren / ſo weit er Gnade und Liecht darzu/ ohnbeſchadet der hellen und klaren Glaubens-Articul/ und nach deren analogia oder Aehnligkeit/ geben will. Für dem / was wir nicht verſtehen / ſollen wir / wie Lutherus wol und artig redet / den Huth abziehen. Aber wer heiſt aus eigener Einbildung oder falſch-geglaubter Offenbahrung ſolche Wörter und Reden erſinnen / die man hernach erſt mit groſſer Kunſt / oder mit Erwartung unverſprochener / auff ſolche monſtra verborum & phraſium gerichteten illumination, verſtehen lernen ſoll? Forſchet in der Schrifft / ſagt Chriſtus / die iſt auch zum objecto aller Theologiſchen Studien der Grund und das Haupt-Werck / und nimmermehr auszuſchöpffen. Von den übrigen Rätzel-Wörtern / und mehr denn Sibyll- und Delphiſchen oraculis, oder dem Gnoſtiſchen Abracadabra, als GOttes Wort ähnlichen Kunſt-Sprüchen / haben wir weder Verheiſſung noch Befehl / und heiſſet wol recht: Turpe eſt difficiles habere nugas. 3.) Sind auch in denen Schrifften derer ſo genannten Myſticorum viel Reden/ welche vielleicht die Autores zum Theil nicht böſe gemeint haben mögen / gleichwol aber unrecht und dermaſſen zweydeutig / daß darunter die Schwärmer / welche die Glaubens-Artickel anfechten / die Beſtätigung ihres Irrthums auch zu finden wiſſen; und ſind alſo dieſe vermeinte Geheimnüß-Bücher zu einem Fall gerathen der Wiedertäuffer / der Libertiner / des Schwenckfelds / des David-Georgens / des Weigelii, und ſonder Zweiffel auch des falſch-gerühmten Theophraſti Paracelſi, und ſeiner Nachfolger und Affen / die in eines ertichteten alten Mönches / den ſie Chriſtian von Roſen-Creutz nennen / Begräbnüß alle Weißheit und Schätze gefunden zu haben / durch ein gedrucktes Ausſchreiben / Fama Fraternitatis genannt / vor ungefehr 80. Jahren ſich gerühmt: Deßgleichen des übel alſo genannten Teutſchen Philoſophi und Theoſophi, eines geweſenen Schuſters zu Görlitz / Jacob Böhmens/ der/ an ſtatt vorgegebener göttl. Offenbahrung / das Vocabularium Theophraſti zum Grunde ſeiner Lehre und allegorien genommen / und das liebe Wort GOttes darauf / ſeiner Phantaſey nach / gedeutet; Des Ezechiel Meths / des Stiefels / Felgenhauers / und ſo vieler andern zu unſern Zeiten in und auſſer Teutſchland zu geſchweigen / wieder welche viel gelehrte und treffliche Theologi Warnungen und Wiederlegungen geſchrieben: weil darauß nur Spaltungen erwachſen / oder zu befahren / ſonderlich aber das Chriſtliche Reformation-Werck und die gantze Evangeliſche Kirche / und bevorab deren Miniſteria verläſtert werden. Iſt ein Exempel / daß man nicht auß der Maſſe ſchreite / und erſtlich neue Reden / darnach neue Lehren / über GOttes Wort ausklügeln / und ſeine eigene Gedancken und Träume für Einſprechung des H. Geiſtes anſehen und außgeben ſoll. Dannenhero / und daß ich aufrichtig und mit wenigen (indem andere ex profeſſo davon geſchrieben) mich erkläre / kan ich von dieſer Theologia Myſtica nicht finden / was ſie für eine Lehr-Art in der Chriſtenheit geben ſolle und könne / die zur Ehre GOttes und Erbauung der Seelen gereiche. Iſt etwas gutes in ſolchen Schrifften / und beſtehet in der Prüfung / das mag zwar wol behalten / auch weiter / jedoch ſchrifftmäſſig / ausgeführet werden: und gehöret ſolcher geſtalt zur

Theologia practica: iſt alſo ohne Noth / daß man eine beſondere Myſticam oder Allegoricam einführen / oder in ſolche dunckele / ſchwere / und mit harten Urtheilen wieder die Kirche und Predig-Amt / theils auch mit öffentlichen falſchen Lehren erfüllte Bücher die Leute / zumahl die Einfältigen / weiſen / oder dieſer Scribenten Fehler mit dunckeln / hochſchwülſtigen und Alchymiſchen Lufft Worten nachthun ſolle. Hæc ille. Sed & amovere ſcopulum juvat, ad quem impingere pedem is, qui hæc mea leget, forte poſſit. Nimirum occurrunt in Vocabulario nunc præſenti vocabula quoque Biblica, divinitus inſpirata; ecquo igitur jure vocabuntur Pſeudo-myſtica? Verumenimvero admodum exile eſt hoc offendiculum, & amolitu facile tigillum. Quodſi nonnihil tribuat aliquis huic objectioni, is expendat, velim, aliter de vocibus iſtiusmodi in prima, aliter de iisdem, in ſecunda mentis operatione poſitis, debere ſubinde judicari. Expendat inſuper, dari etiam, ex ipſiusmet Scripturæ ſtylo, myſterium iniquitatis, dari γνῶσιν ψευδώνυμον, dari orationes τῶν βαττολογούντων. Eſto: Sint quædam vocabula Biblica; nec tamen in ſenſu Biblico, verum Hyperbiblico, Parabiblico & Antibiblico, a Myſticis adhibentur. Atqui ita frigidus vel ſub herba Biblica latet anguis; imo, cum mellitiſſimo Soſandro dum diſputat Satanas, ipſiſſimis Scripturæ vocabulis, ad ſenſum præpoſterum detortis inflexisque, utitur. Nihil reſtat, niſi ut ſuſpiremus in anteceſſum:

Χριστὲ, τεὴ χάρις ἄμμας ἄγοι βούλημα πρὸς ἐσθλόν.
Μοῦνος ἐπιστήμην Τύνη σοφίηντε πορίζεις.
Ad cor, Chriſte, bonum tua nosmet gratia ducat:
Solus Tute animi ſapientis dona miniſtras.
Te nihil æternum *ſi dicere Myſticus audet,*
Nos Ens æternum *Te voce & corde fatemur.*
Si veſana quies ſummo bono ineſſe putatur;
Tute operoſa quies animæ ſummumque bonum eſſe
Diceris. Hæc mens non ex diva profluit aura.
Condita nempe Tua eſt in imagine; perditâ at illâ,
Non DEus evadit, tantum renovatur, imago.
Nec patitur, ſed agit mens & renovata voluntas;
Paſſio nec ceſſat, ſed tantum operoſa quieſcit.
In nobis, pie Chriſte, Tui fac Flaminis aura,
Sanctum haud ceſſet opus, fidei haud certamina ceſſent.
Sic ſocia in vita Te pura mente colemus;
Sic, qui proximus eſt, conſtanter amabimus illum.
Otia, ſeceſſum mentis, latebrasque capeſſens
Myſticus anquirat clauſtra, & ſpeculetur in antris;
Nos in ea ſemper, fac, qua ſumus ordine divo
Chriſtiadûm in cœtu poſiti, ſtatione manentes,
Poſt operoſa piam claudamus tempora vitam!

Veluti

A.

VEluti devotionem Biblicam omnibus commendatam volumus ac devote veneramur: Sic Anti-biblicam merito repudiamus ac tergiverſamur. Sunto itaque in Alphabeto Pſeudomyſtico circa literam A quam maxime cavendi ſequentes anfractus & ſcopuli: ABANDON (ita enim loquuntur ſuperſtitioſi verborum aucupes) talis derelictio ſui ipſius, & reſignatio profundiſſima eſt, per quam anima ſalutem ſuam DEO inſolidum immolat, dicendo: *Perſuaſa ſum, quod Tu, o DEUS, me velis damnare. Fiat voluntas tua; ego nihilominus Te amabo, quia nihil mihi quaro, nihil deſidero, nihil cupio.* Quæ quidem ſui ipſius abnegatio omnino Anti-biblica eſt, & DEUM fingit talem, qui hominis pœnitentis & in fide perſeverantis non miſereri, ſed eum damnare ac æternis Gehennæ flammis adjudicare poſſit; aut talem, qui ut miſericors & clemens damnatis adſit. Falſo. Proxima quidem certe ad deſperationem hæc eſt via. Vid. infra ſub voce Derelictio ſui ipſius. ABRACADABRA, Gnoſticorum terminus, ſuismet autoribus ignotus, ſimilis forte Æonibus, Jaldabaath Creatori, Ennoiæ, Barbeleth, Prunico &c. Sequitur ABRENVNCIATIO ſui IPSIVS PRÆPOSTERA, quam Iſti putant eſſe ipſammet animæ annihilationem Deificatoriam, a Platone decepti. Aliter Magiſter noſter optimus JEſus Chriſtus abnegationem noſtri nobis injungit. Qui enim abnegat ſeipſum, is non annihilat ſe prorſus, verum ſuis duntaxat affectibus, paſſionibus, motibus vitioſis reſiſtit: non annihilat ſenſus, nec ſenſoria, multo minus facultatem intelligendi & volendi; licet floccipendat, quicquid divina non ſapit. Conſonat etiam ABSORPTIO, itemque ABYSSALIS CVM DEO IDENTIFICATIO, ET IN DEVM TRANSSVBSTANTIATIO, quæ eſt apotheoſis Platonico-myſtica, ad viam unitivam relata. Talem animæ annihilationem ſtatuere, ut anima deificetur, ac, divinæ naturæ particeps, dicere poſſit: Ego ſum DEVS, a Verbo DEI alienum eſt. ACTIVA VITA dicebatur a priſcis cultus Dei, operibus externis præſtitus, & opponebatur vitæ contemplativæ, h. e. cultui divino, per ſuſpiria cordis & meditationem re-

rum

rum divinarum præſtito. Adulterarunt autem hanc diſtinctionem Myſtici per ſuperadditam vitam ſuam deiformem ac ſupereminentem. ADAM KADMON, vocatur Demiurgus iſte, qui, a Deo diverſus, mundum condiderit. ADEPTORVM THEOLOGIA aut Philoſophia differebat apud Platonicos a Philoſophia vulgari. Credebant enim ſeſe ultra vulgus ſapere, & præter exotericam ſcientiam aliquid ſublimius, quod νοητὸν vocabant, cognoſcere; quos poſthac æmulabantur Gnoſtici & alii hæretici. Ita ergo Pſeudo-myſtici, ὑπὲρ ὃ γέγραπται ſapientes, aliquid altius ſibi tribuebant, quam fidem & facultatem animæ ſpiritualem, a Verbo excitatam. Iſtud altioris indaginis νοητὸν, occultum, apocryphum, & myſticum, appellitabant, ordinemque divinum deſerendo, ſpiritualitates proprias, myſticas i. e. abſconditas, & cæteris plane ignotas ſectabantur, Myſticorum titulo ac nomine idcirco ſuperbientes. AMOR DEI PVRVS, prout deſcribitur ab Archiepiſcopo Cameracenſi Fenelonio, creditur eſſe ejusmodi, quo DEUM amemus in ſe, quia DEUS eſt, ob Majeſtatem & excellentiam, non autem ob Ipſius erga nos beneficentiam, nec quia prior nos dilexerit, nobisve ex amore benefecerit, quove amemus ipſum, ſi vel æternum nos damnet, cum e contrario & deſiderium cœli & fuga inferni ex privato, quo nosmet proſequamur, amore proficiſcatur. Hic ipſe non uno nomine cenſuram meretur. Primo enim ſupponit in homine impeccabilitatem, ſine qua fruſtra tentatur aut jactatur amoris omnimoda puritas. Deinde ſanctiſſimis hominibus, Jacobo Patriarcha, Moſe, Johanne, Paulo, & cæteris, qui DEUM ob beneficia ab illo accepta leguntur amaſſe, tanquam mercenariis, fingit, nos puriores eſſe poſſe. Tandem ab amore illo commentitio, quem purum nominat, Fenelonius ſuſpendit æternæ ſalutis certitudinem, cum ex adverſo ex ipſius ſententia omnis incertitudo ſalutis ab amore impuro proveniat. Quaſi vero illa ſalutis certitudo ab actu amoris noſtri, & non potius a fiduciali Salvatoris crucifixi apprehenſione dependeat. Præterea ceu AMOREM DEI ERGA SEIPSVM vocare SPIRITVM S. ita & φιλαυτίαν humanam omnem ſine diſcrimine

im-

improbare, Abſolutiſmus fuerit obeliſco dignus. AMPLEXVM nonnulli dicunt viæ unitivæ competere, unionem cum DEO ſpiritualem ſine fide ſomniantes. ANDROGYNUM nobis exhibet Adamum Myſticorum noſtræ ætatis Coryphæus Poirettus. ANIMAM MUNDI quam portentoſe Böhmiſtæ deſcribunt, jam Archæum, jam Sandalphonem, jam ſpiritualem rerum omnium vitam, jam naturam & creaturam, jam genitam ex divina eſſentia & in unam eſſentiam reductam Echo, quæ per Λόγον dicta, & per Spiritum S. ceu muniam vitalem, vivificata ſit, appellitantes? Næ! hi cum matre Evandri loquentes, intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. APPARITIONES CORPOREAS, IMAGINARIAS & INTELLECTUALES Tereſiæ, Bonaventuræ & aliorum vel antiquitas fabuloſa reddit fabuloſas. Etſi enim illi, qui ſpiritus probare didicerunt, num ſint ex Deo, non omnes promiſcue rejiciunt, quæ oboriuntur, viſiones; tamen eventu comprobatum & ſæpe compertum eſt, has falſæ devotionis & Pſeudomyſticiſmi cuniculos & fomenta fuiſſe, ab eo callide adhibita, qui ſeſe in Angelum lucis transformare novit. ARIDITATEM ANIMÆ impedimentum devotionis nominant ſubinde, qui nondum ſatis liquoris electitii biberunt; ſed & ASCENSIONEM MENTIS AD DEUM jactitant, qui, famoſa iſta via tergemina, purgationis ſine Sanguine Chriſti, illuminationis ſine Verbo Dei externo, & unionis ſine fide, myſteria ſua peragere & emetiri laborantes, non Paulino certe Spiritu ea, quæ ſurſum ſunt, quærunt, verum ASSIMILATIONEM CUM DEO Pythagoricam, Platonicam, Cabbaliſticam, Sephirothicam, Deiſticam & Spinoſiſticam, neque ſecius AURORAM, illuminationis ſuæ miniſtram, perdite affectant.

B..

BABELEM & BABYLONICAM MERETRICEM hi Sanctuli nominant jam totam Eccleſiam Chriſtianam, jam præcipue Luthera-no-Evangelicam, in qua nihil non confundere ac turbare geſtiunt; ac proinde termino iſthoc technologico, ceu elemento ſibi domeſtico, mirifice delectantur. BEATITVDO PER ASPECTVM, PER VISIONES ET COLLOQVIA CVM DEO, hac in vita jamdum

per viam unionis inſtituta. Conf. inferius de Sui ipſius amiſſione, Morte animæ, Liquefactione &c. Dixeris hos Θεουμένους, Abſolutiſtas potius, quam Modiſtas. Abſolutiſmus quippe ipſorum eſt Perfectiſmus, a virtutibus politicis, purgatoriis, & intellectualibus ad exemplares & ideales usque aſſurgens, ſi divino quidem Platoni id placet. Abſolutiſmus, inquam, hujus beatitudinis a quovis expoſcit Chriſtiano, ut in œconomia ac diſpenſatione officii Chriſtiani tam ſanctus evadat, ut cum Henocho, Moſe & Elia illico in cœlum vivus transferri queat. Quaſi vero Chriſtus eum in finem ſit mortuus, ut nobis mereretur perfectam & ad omnes numeros abſolutam, hac in vita poſt lapſum nobis inhæſuram, juſtitiam, aut ut noſtris operibus meritoriam vitæ æternæ vim conciliaret; & quaſi DEUS nos etiam per infirmam fidem, etiamnum in carne habitantes, & ex miſeriis hujus vitæ eluctantes, ſalvare nolit; quaſi tandem hac in vita non abſolutam juſtitiæ nobis inhærentis perfectionem ideo neget, ut peccati atrocitatem eo magis agnoſcamus, Chriſti meritum calidiori amplexu teneamus, ad liberationem futuram tanto inflammatius anhelemus, ipſique ſoli, non nobis, omnem ſalvationis gloriam tribuamus. Ita ergo non in Abſolutiſmo aut Perfectiſmo Beatitatis imaginario; verum in infirmitate virtus DEI perficitur. Animat Abſolutiſmus idem Enthuſiaſticus Sectatores ſuos, ut ſine omni moderatione ac temperamento nihil non licentioſe ab iisdem credatur & ſtatuatur, augeatur & attentetur, & in ſummo tandem apice extremoque faſtigio cum naturalis, tum ſupernaturalis rerum ſive fatalitas, ſive libertas & indifferentia, ſtrictim ac minutim collocetur. BELLUINUM Thieriſch iisdem in ore frequentius eſſe ſolet, ex libello SederOlam eine Briatiſche Azilothiſche und Jezirathiſche Welt proclamantibus, noſtram Eccleſiam belluinam, eine thieriſche Kirche / ſalutantibus, cumprimis autem omnes actiones Magiſtratus Chriſtiani, quibus progreſſibus iſtiusmodi fanaticis obicem ponunt, non ſine tetro phraſeos Danieliticæ abuſu beſtiales, thieriſch / vocitantibus. Hæc & ſimilia ponderantes, autumus evitandas BLASPHEMIAS PSEUDOMYSTICAS. Leges enim inſtar omnium bo-

vinam

vinam alicujus τοῦ φιλοδοξοῦντος vocem, S. Cœnam eſſe ſigillum Draconis, Satanam per ſtultos homines Verbum DEI ſcripſiſſe, & mentiri eum enormius Satana, qui perhibeat, fidem oriri ex auditu. Reſtat taxandum in hac litera BONUM QVIETISTICUM, quod hi appetunt, ſecuti anteambulonem Molinoſum, cujus directio conſiliumque huc redit: Homo in peccata lapſus ſe non debet inquietare, commovere atque atterere, eo, quod hoc manifeſtum ſit ſignum ſecretæ ſuperbiæ. Nam ſi Deus etiam ſanctiſſimis ſuis permiſit, ut laberentur in peccata, ut videlicet cum humilitate agnoſcant, quod ſubſiſtant in hac defectuoſa natura, quæ nil niſi ſpinas, infelix lolium, atque alias malignas herbas producit; quid ergo opus eſt, ut tu te multum affligas? Quin ſcito, quod Deus etiam vitiis ſcalas ſciat facere in cœlum.

C.

CALIGO a filiis iſtis tenebrarum in DEO, lucem inacceſſam habitante, nihilominus eſſe docetur. Coccyſmi Böhmiani, Weigeliani, Poirettani ſatis innotuere, quod DEUS Pater ſit tenebræ, quod generando *Filium* accipiat lucem, quodque ſpirando *Spiritum S.* accipiat gaudium & acquieſcentiam. Sic ergo aut convitiis conſulto proſcinditur Numen ter Sanctum, aut ſpiritus obſcuriloquus, λοξίας καὶ σκολιστικὸς, formam ſanorum verborum deſerens, oberrat circa tenebras, quas magis amat, quam lucem, eo, quod opera ejus ſint mala. Latitat autem ſub hoc loquendi tenore Platoniſmus & vetus Philoſophia Ægyptiorum, qui ſtatuerunt, primum rerum principium eſſe tenebras ſeu caliginem obſcuram atque incognitam. CANON INTERNUS ex regeneratione & nova creatura accerſitur, & veritas divina non tantum ex Scriptura, verum etiam ex emanatione divina dignoſcitur, idque per Verbum internum, quod cuivis homini connatum eſſe reputant. CARNALES perinde, ac Tertullianus olim, Montaniſta factus, Pſychicos, eos omnes, quotquot ſinceriorum partium ſtudia Theologica ſequuntur, dictitant, provocantes ad CENTRUM ANIMÆ (licet quis forte literam Evangelii ignoret) Hoc dicitur CHRISTUS, etiam cuilibet Ethnico connatus.

Quicquid extra additur, non niſi acceſſorium eſt & accidentale. Alii ſuum cujusque Nihil dicunt eſſe Centrum animæ; & ab hac quidem centrali ſubſtantia quamvis religionem judicant eſſe diſſitam, longeque alieniſſimam. CEREBRINUM eſſe vociferantur omnium eorum inſtitutum, qui religionis & confeſſionis externæ rationem habeant, animasque ad Symbola Librosve Symbolicos aſtringant; quandoquidem externa verbi prædicatio & Sacramentorum adminiſtratio vix paterarum inanium nomine debeant venire, & ad Theoſophiam cordis nihil conducant. Sic ergo cor a mediis ſalutis abſtrahitur, & ejusdem centrum extra iſthæc media anquiritur. Quin CHAOS nonnulli vocant ipſum DEUM, ex quo creaturæ omnes progenitæ fuerint, eſſentialia ejusdem ἀποσπασμάτια. CHRISTUS IN NOBIS Anti-Biblicus articulum principalem in hac falſi nominis falſæque religionis devotione ſubminiſtrat. Hunc alii cum Poſtello dicunt naturam, ante omnia æternæ naturæ unitam, ab initio creatam, quæ neceſſario pars ſit humanæ naturæ ſuperior; alii Medicinam cœleſtem, ex ſemet ipſa per effluvium divinæ virtutis ejus ſine mediis percipiendam; alii blaſpheme ſpeculum peccati, quod fecerit, appellitant. COELOS ANIMÆ TRES excogitant, imaginale, rationale & intellectuale, hujusmodi affaniis mire ſibi placentes, Theoſophiæ univerſalis cultores. COLLECTIONEM, h.e. ingreſſum ad interiora, vocant, ubi eremum ſeu ſolitudinem ſuam colant. Neque enim aliquid agendum rentur in hoc ſeceſſu Myſtico, ſed ab omnibus etiam bonis operibus, cum externis, tum internis, abſtinendum. Suſpices cœli æmulantur veteres, arbitrati, deſideria omnia activa eſſe argumentum imperfectionis, & indicare illud, quod anima noſtra nondum plane & plene ſit evacuata. Quorſum pertinet COLLIQVATIO cum Deo, viæ unitivæ gradus; COLLOQVIUM cum Deo, non Davidis certe, nec Chryſoſtomi æmulum; verum Dionyſiaſtri Areopagitæ: CONCREMATIO in amore Dei; quæ eſt non Paulina, ſed Quakeriana: CONFORMITAS cum Deo; quæ eſt non Petrina, ſed Dionyſiana: CONJUGIUM cum Deo, idque non Salomoneum, neque Eſaianum cum Chebzibah cœleſti,

leſti, verum præſtigiatorium ſine lavacro aquæ & ſine Verbo contractum: CONTEMPLATIO, quam Domini Spirituales ab oratione, prout volunt, & prout ipſis videtur, diſtinguunt, & hanc tamen in meditativam, affectivam & infuſivam, cum Poiretto ſubdiſtinguunt. Priſci quippe contemplativam vitam activæ i. e. practicæ & communi, ad Theologiam moralem forinſecus ductam, attinenti, virtutumque & officiorum Chriſtianorum exercitia complexæ, multis paraſangis anteponunt; id quod vel ex Lutheri ſcriptis poſterioribus apparet. Neoterici autem ejusmodi ſpirant contemplationem, quæ omnem intellectum excludat; quæ circa Deum ſine conſideratione SS. Triados verſetur, ſicque adeo pura ſit & perfectiſſima. Philoſophis quidem certe contemplatio eſt actus intellectus *ſpeculativus*; Myſticis vero eſt *practicus*, ad voluntatem potius, & quidem ſublimatam, quæque intellectum in contemplando antevertat, præcipue attinens. Ita proinde amant diſtinguere cogitationem, meditationem & contemplationem, ut cogitatio ad objectum abeat, ſed lento pede, & ſæpe huc atque illuc vagetur; meditatio per ardua & aſpera progrediatur ad directionis finem, atque ad eum magna induſtria nitatur; contemplatio vero libero volatu ad Divina ſancto quodam impetu feratur, & in ſuo objecto amoroſe conquieſcat. Proinde, ajunt, cogitationem eſſe ſine labore & fructu; meditationem eſſe laborem cum fructu; contemplationem permanere ſine labore & fructu. Has certe inſtitutiones Myſticorum impuriorum, in quibus falſum iſtud principium, falſum medium, & falſum finem, de quibus in præfamine locuti ſumus, ſupponunt, merito volumus exploſas. Modicum quippe fermenti totam maſſam fermentat; & ſemel plenius attracta contages nihil ſani relinquit. CORDIS THEOLOGIA, prout Theologiæ Scripturariæ opponitur, præter orationem etiam continet ac poſcit mortificationem ſenſuum, appetitus, memoriæ, intellectus & voluntatis, ut adeo Vacuum Myſticum ex his omnibus fiat; ipſaque in activam & paſſivam diſpeſcitur. Exigit juxta quosdam, ut homo quærat ſuam ipſius ignominiam, ut abneget ea quoque, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria,

 v. g.

v. g. divinam illuminationem, amorem ac deſiderium virtutis; ut fugiat Muſicam, novellarum lectionem, amicitiam cum aliis, compreſſionem naſi coram graveolentia, aliaque adiaphora plura, utpote quæ omnia contrarientur abnegationi ſui ipſius. CUBICULUM, a Salvatore mellitiſſimo nobis commendatum, in hac Theologia cordis illuc panditur, ut omnes ideæ, ad perfectionem ſpiritualem minus neceſſariæ, abſolute & in ſolidum hinc exeſſe jubeantur, nullaque nullius rei naturalis, moralis aut œconomicæ conſideratio amplius intromittatur, nullum judicium ſuper ea formetur, nulla curioſitas toleretur. En tibi Vacuum myſticum in cubiculo, ad quod CUSTODIAM CORDIS, a Davide commendatam, ſuperſtitioſo, nimis Phariſaico & electitio cum exceſſu, detorquent.

D.

DEISMUS, non large acceptus, prout negationem divinæ providentiæ, & huic confinia vagarum mentium præcipitia notat, & per antiphraſin Atheiſmum potius inſinuat, omnemque religionem eliminatum it; verum ſub notione preſſiore ſumptus, eſt Abſolutiſmus veſaniæ humanæ, ex creatore creaturam facientis, aut eundem putantis eſſe principium internum, συςατικὸν, ac partem eſſentialem cujuslibet entis creati, ſeu mavis, eſſe unum tantummodo ens, quod naturæ jam naturantis, jam naturatæ nomine veniat. Dippelius quidem certe in Fato ſuo fatuo cum hoc Spinoſiſmo etiam Audæaniſmum combinat, delirans, GOtt habe einen ſubtilen Cörper / oder unſichtbaren Cörperlichen Grund aller Geſchöpffe von Natur in ſich; das ſey die ewige Natur / und das object, das GOtt ſelbſten in ſich habe / ohne welches er nicht einmal actiones æternas thun könne. DENUDATIO tribuitur a rigidiorum harum ſcholarum Antiſtitibus duntaxat *occultis DEI filiis*, quos ab *Amicis DEI* ſequeſtrant. Perſuaſum nempe ſibi habent Magiſtri iſti, quod Amici Dei internam ſuæ mentis aſceſin cum proprietate quadam poſſideant, ſuæque ſalutis æternæ deſiderium alant, dum ipſam amoroſam ad Deum adhæſionem, tanquam optimum quoddam, eligant atque amplectantur. Hinc etſi Deum, ceu ſummum Bonum, unice

dili-

diligant; tamen ſuiipſorum quandam retinent proprietatem: adeoque non plane denudati ſunt myſtice, nec in amoris divini unitate penitus conſumpti atque concremati. Unde etiam nondum æternæ beatitudinis certi ſunt; quippe qui nondum omnino ſibi ipſis, & omni omnino proprietati ſunt emortui. Vid. ſupra tit. AMOR DEI PURUS. O ſubtilem vero! o miſerum denuo Abſolutiſmum, quo ſine ſuffragio Biblico Amici Dei v. g. Abrahamus, Apoſtoli & alii, occultis Dei filiis poſtponuntur! Qvinam hi tandem? Denudati illi, quorum amor totus ſit *nudus* ſine ulla reflexione ad ullam Egoitatem & Proprietatem, qui ſoli ſentiant in ſe æternæ ſalutis certitudinem. Subeſt huic Rigidiſmo Anti-Biblica iſta Deiformitas, cujus reſpectu Petruccius opinatus eſt, verum Myſticum plus eſſe, quam hominem. O vanam & inanem deceptionem, Pythagoræiſmi, Platoniſmi ac Stoiciſmi tenaciter æmulam! DERELICTIO A DEO FACTA. Vel perverſe tribuitur homini Derelictio paſſiva & ſatisfactoria JESU CRUCIFIXI, utpote qui μονοτρόπως hoc tortular iræ divinæ & ſolus calcavit: vel *Derelictio ſui ipſius*, de qua ſupra in tit. ABANDON, ABRENUNCIATIO &c. aliqua monui, quæ ſi in Davidica revolutione omnium viarum in Dominum perſtaret, laudanda foret; ſed cum præter alias ſcorias etiam hanc eidem affricet Poirettus, quod in ejusmodi perfectione conſiſtat, cujus ratione & Velle & Perficere bonum nobis adjaceant, Hyper-Paulina & Hyper-Apoſtolica eſt; adeoque vana & irrita perſuaſione nititur. Atque ita Mich. Molinoſi in exceſſu peccavit pietas, cum, ſi cui revelaretur, Deum ipſum abſolute damnare velle, eidem injunxit, ut voluntati divinæ etiam usque ad æternam damnationem ſe reſignaret. Impium enim eſt, rem tam injuſtam & horridam de Deo vel cogitare. Conf. infra ſub voce *Reſignatio*. Similiter Derelictio corporis in Cantico Opitiano: So laß den Leib / in dem du biſt gefangen / niſi præſcindatur a ſenſu Platonico, ſed proveniat & cantilletur falſo ex principio, medio & fine Matæologiæ Myſticæ, meretur correctionem: Laß ab die Sünd / in der du biſt gefangen. DESERTUM pro devotionis impedimento exponitur, cum in Anachoretis

retis

retis ejusdem fuerit adminiculum. DESIDERIA CORPORIS PASSIVA ſtatum inactivitatis appellant, animæque ſilentium. Contradictionem denuo & ἑαυτομαχίαν obſervamus rigidorum horum Magiſtrorum. Deſiderare enim & non deſiderare nos jubent, ſeu mavis, deſiderare ſine deſiderio. Et falluntur certe, dum exiſtimant, regenitos ſeſe habere pure paſſive, cum tamen Spiritui S. cooperentur. Anne enim non Scriptura dicit, quod nosmet ipſos purgemus ab omni contagio carnis & ſpiritus, quodque omnis, qui ſpem hanc in ipſo habet, ἁγνίζῃ ἑαυτὸν perinde, ac ipſe mundus eſt? Anne non Abrahamus, Jacobus, David, Hiskias, anne non Hanna mater Samuelis, anne non Maria mater Domini deſideria ſua maxima cum activitate Deo expoſuerunt? DESPONSATIO Hoſeana venerabilis; at fanatica gradus viæ unitivæ eſt. DEVOTIO Pſalmodica exercitium legis & Evangelii; at recollectio interior Molinoſiana ſomnium mentis eſt. DEUS Felgenhauerianus eſt der rechte eſſential-Menſch / ſonderlich / wie er ſich in CHRISTO dargeſtellet hat: Wir Menſchen aber ſind nur nach ſolchem Bilde als eine Abſchattierung gemachet. DIES MYSTICUS aut meridies, nocti & auroræ oppoſitus, eſt via unionis, ab illuminatione & purgatione diſtinctæ, in quo Entheo noſtro Myſtico contingere putantur ſpiritualis exaturatio, inebriatio, abſorptio, exæſtuatio, unctio, elevatio, illuminatio, guſtus, ſabbatiſmus, liquefactio, jubilus, oſculum, amplexus, deſponſatio, ſaltus, unio, admiratio. O Satan, Satan, in Angelum lucis transformate, quantopere opus Dei depravatum iviſti? DIVINISATIO STIFELIANA. Sic nimirum iſte ad B. D. Weberum: Du läſterſt meine leibhafftige Gottheit im Himmel und auf Erden / auch die Fülle des gantzen Göttlichen Weſens. Alii ſtultorum imitatores ſcribere non ſunt veriti, Chriſtianum eſſe Deum viſibilem & corporeum: wolten wir kleine Götter in dem groſſen GOtt ſeyn / ſo müſten wir die Liebe weſentlich werden. DRACONEM Apocalypticum idem Felgenhauerus vocat Humanam Chriſti Naturam, beſtiamque ex abyſſo aſcendentem. Φεῦ τῆς λοιδορίας!

E. EBRIE-

E.

EBRIETATEM ſive inebriationem fanaticam, quam ad gradum vitæ unitivæ jamjam referebamus, nunc operoſe deſcribere non vacat. Paracelſiſtarum Theologia, nimia ſub abundantia abſorpto vino aduſto haud diſſimilis eſt; ab aliis cum ſtibio ſeu antimonio, præpoſtere & in exceſſu tam præparato, quam uſurpato, ſolet conferri. ECLECTICISMUS & Indifferentiſmus religionum naſutam animalium noſtrorum Myſticorum ſapientiam mirifice paſcit. Scepticus quidam recentioris ævi tres ponit religiones eclecticas, majorem, mediam, & minorem: Illam ex Chriſtianiſmo, Judaiſmo, & Ethniciſmo, vix tamen ἐνδεχομένην, iſtam ex omnibus Chriſtianorum ſectis, quantumvis in occulto, conſtipandam, ne Sociniſmo quidem excluſo, hanc ex tribus, in imperio Romano valentibus, publice ac ſolenniter coadunandam effingit. Arbitratur enim, nullam earum eſſe magnorum nævorum expertem, adeoque abutitur aureolo illo Apoſtoli effato, quod omnia probanda, &, quod bonum eſt, tenendum veniat. ECSTASIS Oppeniana, aliæque multifidæ, prolixam hic recenſionem non merentur. EGOITAS, Ichheit/ Eigenheit/ proprietas, denudatio, in unitate amoris conſumptio & concrematio eorum, qui omnino ſibimetipſis & omni proprietati emortui ſunt, renunciantes omnibus, nudoque & imaginibus vacuo ſpiritu ſuam ipſorum eſſentiam tranſcendentes & excedentes. Quæ eſt introverſio hominis in ſeipſum, & Purificatio Jamblichiana, in hoc conſiſtens, ut ſeparetur quam maxime animus a corpore, & aſſuefiat per ſe eſſe absque corpore, in ſeceſſum verſus (vid. jam dicta ſub Derelictione, ſo laß den Leib/ in dem du biſt gefangen) liberque a corpore, velut a vinculis. Id quod mors animæ vocatur, Enthuſiaſtica nimirum hujus a corpore ſolutio ac ſegregatio. ELEVATIO mentis ad DEUM per cognitionem ejus negativam ab Areopagita larvato ita traditur, ut conſiſtere putetur in ignoratione, utque adeo mens in caligine iſta ignorantiæ Deo uniatur, ſemetipſam deſerendo, & detractione iſthac ſua perfungendo. Quæ quidem ratio θεογνωσίαν potius deſtruit, quem adſtruit, & in magnis ver-

borum fumis nihil dicit. Sic nimirum Weigelius eo devenit, ut DEUM deſcriberet per æternum nihil. Et inter ſe dimicant, qui talia ptoſitentur, utrum contemplatio illa, quæ fit per negationem, & per abſtractionem mentis ab omnibus poſitivis & incomprehenſibilibus Dei perfectionibus, ſit actio, an pura paſſio: utrum ſit experimentalis in affectu, an in intellectu. Sunt apinæ tricæque, & ſi quid vilius iſtis. EMANATIO DIVINÆ ESSENTIÆ ET EFFLUXUS IN ANIMAM. Quando dicimur genus Dei eſſe *efficienter*, fallaciam a dicto ſecundum quid admittentes illico pronunciant, hoc eſſe capiendum ἀποσπασματικῶς, quodque omnia ex divina eſſentia effluant, & in illam redeant ſeu redundent. Quinimo omnium hominum animas præextitiſſe, antequam jungerentur corporibus, ſomniarunt olim tum Ethnicorum, tum Hebræorum Sapientes oppido multi. Unde nata eſt paradiatribe, quod vel anima Chriſti ante incarnationem extiterit, quodque Filius Dei jam in Paradiſo ante lapſum Adami fuerit incarnatus, & humanam induerit naturam ab ipſo Adamo, qui principium fœcunditatis habuerit in ſemetipſo, quod ex DEO emanarit. Nugæ! ENTHUSIASMUS, inde patet, quam horrendum, immane, ingens, & lumine carens ſit monſtrum; quandoquidem cum Atheiſmo eatenus paria facit, quatenus Verbo Dei revelato parum tribuit: unde non niſi male feriata, excœcata, a Deo averſa Deoque adverſa gignit ingenia. Hinc prodiit EVA COELESTIS, ex qua Pater genuit Filium: hinc novus Chriſtus, cœleſtis & divina Eva, pullulavit. Hinc EVACUATIO INTELLECTUS ET RATIONIS ortum traxit, in eo poſita, ut neſciamus, quid ſit Deus, ut vel nomen & conceptum Dei ignoremus; hoc unum ut ſciamus, quod nihil ſit eſſentia noſtræ animæ, quodque hac in vita omnino nihil de Deo cognoſcamus. Quæ eſt omnimoda rationis & reflexionis cujuscunque abolitio. EXCLUSIO, dictitans, Deum ſolum ita amandum, ut præterea ex entibus creatis nihil vel ſubordinato amore diligatur; eundem ſolum ita timendum, ut præterea nihil, ne infernus quidem timeatur; ita ſolum honorandum, ut præterea nulla creatura, quantumvis Deus

eam

eam honorandam eſſe dixerit, honoretur. Qui Abſolutiſmus denuo cum rationi ſanæ, tum revelationi divinæ contravenit. Ecqui enim non honoremus Parentes ſub Deo, cum Deo, poſt Deum? Ecqui non timeamus infernum, quatenus Deus corpus & animam infidelium per illum perdere poteſt? Ecqui non diligamus liberos, cum ipſa natura στοργὰς parentibus inſeverit? EXPERIENTIA eſt iſtud principium Theoſophorum, quod impoſuit longe plurimis: unde ſcandaloſa Poiretti diſtinctio inter Theologiam Scripturariam & Experimentalem enata. Secretiorem hanc ptacticam cum Bonaventura Theoriæ anteponunt, rati, omnia hic per experientiam propriam agi, & obſervationes non vulgares de illuminatione interna, diſcretione ſpirituum, & lumine Dei interno hinc capeſſi. EXTERNUS HOMO hic ſubſcribere judicatur Libris Symbolicis & Confeſſionibus, imo & peccare ſubſcribendo; at internus non item. Utut ipſe Apoſtolus confeſſionem oris æque exigat, ac fidem cordis; illis tamen omnia evileſcunt, quæ externa ſunt, utpote quæ interiorem hominem nihil juvent, ſed omitti queant. Tam parvi æſtimant œconomiam Verbi & Sacramentorum, divinitus ordinatam.

F.

FAMES. Tametſi eſurientes ac ſitientes juſtitiam a Soſandro beati prædicantur; Quietiſtæ tamen impedimentis penitiſſimæ devotionis etiam famem annumerant, & hanc inter ſigna imperfectionis volunt relatam. Datur quidem apud Amoſum Prophetam fames, quæ eſt juſta Dei pœna & Verbi divini abſtractio; inde tamen haud videtur ſequi, quod deſiderium audiendi verbum pietati adverſetur, aut devotionem ſufflaminet. FANATICI ſunt, quorum principium, medium & finem in Prologo hujus Diatribes jamdum oculis expoſui. Ex fructibus, cum dogmaticis, tum moralibus, noſtra hos cognovit ætas. Præ cæteris inſignes ſunt hypocriſis, arrogantia, contemptus proximi, impuritas, temeritas, Sacramentorum vilipendium, miniſterii publici infeſtatio, Confeſſionum execratio, Reformatiſmi novelli pruritus, & plura alia, quibus undiquaque turgent, vitia. Objicis ℵ) *multa tamen apud hos legi bona, ſalutaria, imitabilia.* Regero, hæc ne-

 qua-

quaquam Fanatiſmo, qua tali, & quatenus colluvies omnium hæreſium ſchiſmatumque ad extremum evadit; verum orthodoxiæ, hoc eſt, rectæ de rebus divinis ſententiæ, tribui debere. ג) *totam Eccleſiam orthodoxam nondum omnes damnaſſe fanaticos.* Remitto itaque te ad Libros Symbolicos, ubi identidem damnantur; &, ſi nemo ipſos damnaret, in foro conſcientiæ αὐτοκατάκριτοι forent, Tit, III, 11. Et hanc convictionem internam licet ad tempus non percipiant; evigilante tamen conſcientia penetrationem ancipitis gladii per intima viſcera experientur, Verbo cumprimis coram tribunali Chriſti majeſtatice judicaturo. ד) *ſolos Hermeticarum & Chymicarum ſcientiarum gnaros Theophraſtum Paracelſum, Böhmium, Weigelium, aliosque judicare poſſe.* In promptu eſt reſponſio. Si hi & ſimiles Hermetici intra terminalia ſuæ diſciplinæ perſtitiſſent; nemo Orthodoxorum illis dicam ſcripſiſſet: Poſtquam autem extra pomœria ſuarum, quas ſibi arrogant, ſcientiarum excurrentes, falcem in meſſem Theologicam immiſerunt; ecquis, amabo, jure vitio vertet Theologis cordatis, ſi officio elenctico, divinitus mandato, adverſum eos uſi fuere? Dicis gratia, ſi Böhmius, aut quicunque tandem ſub ejusdem nomine deliteſcunt, docere non verentur, in die H. Schrifft ſey etlich irrig Ding hinein-gebräuet/ GOtt ſey keine Perſon/als nur in Chriſto/GOtt ſey dreyfaltig im Weſen; numquid hæc talia ex Chymicis dijudicanda? Num hic viæ unitivæ profundior ſectator ac defenſor unctionem Johanneam habere putandus? numve haud aliter inſanivit, quam ſaltem apparenter, ſeu mavis, eo modo, quo Paulus Athenienſibus & Feſto inſanire videbatur? ה) *univerſum tandem negotium redire ad meram λογομαχίαν, & controverſias in verbis modo, eorumq; commoda explicatione, quam rebus ipſis, conſiſtere.* Enimvero dicat ſententiam, qui dicere poteſt, num v. g. hæc de SS. Scriptura & SS. Trinitate dogmata ſint tam exigui momenti. Liceat idem nunc pronunciare de noſtri temporis litibus, adverſariorum, non noſtra, culpa motis, quod Mart. Chemnitius & alii Patres Bergenſes ſuper certaminibus, deciſis in Epit. Form. Conc. cujus caput XII. cumprimis Fanaticos & Enthuſiaſtas notat, ediſſeruerunt. *Mota* (inquiunt)

quiunt) *illa certamina non ſunt λογομαχίαι, aut de verbis inanes & non neceſſariæ diſceptationes: quales oriri ſolent, cum altera pars alterius ſententiam non ſatis aſſecuta eſt: ut quibusdam fortaſſe in hoc religionis negotio res habere videntur, qui exiſtimant, diſputari tantum de paucis quibusdam vocabulis, quæ nullius pene, aut certe non magni, ſint momenti.* SED RES GRAVISSIMÆ SUNT, DE QVIBUS CONTROVERTITUR, ET PRORSUS TALES, UT ILLIUS PARTIS, QVÆ A VERO ABERRAT, SENTENTIA IN ECCLESIA DEI NEC POSSIT NEC DEBEAT FERRI, NEDUM EXCUSARI AUT DEFENDI. FIDES juxta quosdam horum eſt ipſe DEUS, juxta alios, ipſa Theologia. Indifferentiſtæ fidem implicitam jactitant, den un-ſpecificirten Glauben/ da man gerne alle Warheit glaubet/ als welcher das einige Mittel ſey Friede zu ſtifften. Aliis ſordent tres fidei partes, notitia, aſſenſus & fiducia. Quo nomine ipſam in mera unione conſiſtere clamitant. Effectus fidei charitas, apud Pontificios, Socinianos, Arminianos, Enthuſiaſtas, eſt ipſa fidei forma. Quare non mirum videri debet, Petrum Pertium, Profeſſorem Leidenſem, Remonſtrantium partibus addictum, in cauſa Barnefeldina tempore Colloquii Durlaceni exauctoratum, ad Pontificiorum caſtra tranſiiſſe. Prima quippe mater hujus trranſitus fuerat ambitio. Cauſabatur deinde, ex doctrina Contra-Remonſtrantium de fide tria poriſmata erronea, falſa & abſurda neceſſario effluere: & primo quidem inde ſequi, quod omnium Chriſtianorum una numero eademque ſit juſtitia, quia Chriſtus ſit unus; deinde, quod omnes Chriſtiani tam ſint juſti, quam ſit ipſe Chriſtus; tandem, quod iidem in hoc ſeculo ſint juſtiores, quam futuri ſint in altera vita, eo, quod hic omnes Chriſti habeant juſtitiam, illic ſinguli ſuam, eamque duntaxat inhæſivam, ſint habituri. Adeo periculoſum eſt, doctrinam de fide ſiniſtre imbibiſſe; hinc nimirum ex errore in errorem facilis datur prolapſio. Sed hæc obiter & perfunctorie.

G.

Gelaſſenheit/ itidem tectorium falſæ & ſpuriæ fidei eſt in

cœtibus Pſeudo-myſticis. Das ſoll nun ſeyn der Gläube/ nehmlich eine willige und völlige im Gehorſam beſtehende Uberlaſſung und Ubergebung ſein ſelbſt / eine Einſenckung in GOtt / ein Eingang in GOtt. Das nennet man Scheins-wegen eine Ein- und Annehmung Chriſti mit ſeinem Geiſt und Kräfften / aber mit Ausſchluß derjenigen Zuverſicht / daß Chriſtus genug vor uns gethan habe / und alſo nicht eine Annehmung des Verdienſtes / ſondern des Exempels und einer ſo genannten bloſſen Krafft Chriſti / die doch ohne ſein Verdienſt nimmermehr unſer werden kan. Neque vero multum hinc abludit GENERALIS *cognitio articulorum fidei:* quæ fidem carbonariam gignit, & per ignorantiam potius, quam ſpecialem notitiam venit deſcribenda. Nihilominus illi, qui ſub pietatis prætextu, tanquam ſub pelle ovina, incedunt, fidem ſpecialem, & particularem notitiam hujus aut illius articuli, carnalem atque cerebrinam eſſe, vociferantur. Ecqui malum! hoc pacto quilibet noſtrum dicere juberetur: Ego ſcio, cui credo: Ego ſcio, quod Redemptor meus vivit: Ego ſcio, quod ſit Dominus meus & Deus meus: Ego ſcio, quod ſit Amicus meus, & ego ſim ipſius: Ego ſcio, quod Verbum Ipſius ſit in ore meo? Et vero hoc eſt Verbum fidei, quod ſuo quisque corde credimus, & ſuo quisque ore confitemur. GENERATIO FILII DEI NECESSARIA, ET ANIMÆ HUMANÆ ARBITRARIA, quæ fieri EX ESSENTIA DIVINA creditur. Vox durum ſonans in ore & ſcriptis Anteſignani Pſeudomyſticorum Poiretti. Deliquium mentis ille paſſus Trinitatem nobis non ſine delirio conſignat. Juxta ipſum quippe Deus Pater ſecundum ſe ſpectatus eſt facultas quædam vacua, nec luminoſa, nec felix. Imo in primo principio abſtracto (in Deo) ſunt malum, tenebræ, ira, regnum infernale. Ut Pater porro in divinis lumen & beatitudinem ſuam inveniat, neceſſe eſt, ut intra ſeipſum producat Filium, ut in ejus facultate intellectiva naſcatur lux; & huc illud pertinet Johannis: Lux lucet in tenebris. Tunc tandem naſcitur Amor, h. e. tertia Perſona Trinitatis, quæ eſt Acquieſcentia Dei Patris, ejusque gaudium ac fruitio ineffabilis. Quem amorem

rem ſi non produceret Deus Pater, in æternum eſſet miſerrimus, nunquam ſecum contentus, ſed in perpetua anxietate & in cruciatibus vivens. Præſtigiæ hæ ſunt Böhmianæ, & a proceſſu regenerationis noſtræ Perſonarum divinarum actus perſonales & modos ſubſiſtendi extrema cum temeritate deſcribunt. Quoniam enim (ajunt) anima in regeneratione luce indiget; ideoq; etiam Deus Pater in generatione lucem &ſapientiam ſuam accipit a Filio, ſicut Filius Dei eſt lux fidei in regeneratis. Et porro, uti amor, acquieſcentia, tranquillitas, gaudium in regeneratis eſt Spiritus Sanctus; Ita idem Spiritus S. amor, acquieſcentia & lætitia eſt in Deo Patre. GRANUM DEISTICUM, das eingeſäete Senff-Körnlein / welches dem von auſſen hinein-gebrachten Glauben entgegen geſetzet wird. Alii ſcintillulam nominant, omnibus hominibus implantatam: Barclajus ſemen, lumen, verbum internum: William Caton Geiſt / Wort / Sohn / Ebenbild / die Hand / den Finger / die Weißheit / den Willen / das Liecht oder Gemüth GOttes / oder / wie man es nennen will. Weigelius im Gulden-Griff / das Wort / ſcribit (quod antea librum internum appellaverat) iſt die Weißheit GOttes im Menſchen; Es iſt das Bildnüß GOttes im Menſchen; Es iſt der Saame GOttes / das Geſetz GOttes / Chriſtus / GOttes Reich; Es iſt das Wort des Lebens in uns. GUSTUS FANATICUS eſt gradus viæ unitivæ, ſine fide, & poſt immediatum Dei illapſum in animam perceptus, experimentalis, ita tamen, & cum ejusmodi paradoxo, ut experientiam dicant principium notitiæ, non notitiam experientiæ.

H.

HALATIO, radius & imago divinæ virtutis putatur eſſe Sophia, das Hauchen / Strahl und Bild der Göttlichen Krafft / ein dreyeinig Hauchen / nach welchem GOtt aus den 7. Qvell-Geiſtern der Grund Lehren Einigkeit den dreyeinigen Himmel gemacht habe. Quod denuo eſt myſterium Böhmianum, quo caſtius interdum ipſimet etiam Ethnici fuere locuti. HERMAPHRODITUM fuiſſe Adamum, principium fœcunditatis in ſemet ipſo haben-

bentem, offendiculi plenum dogma Poiretti eſt, quod cum Weigelianis & Böhmianis commune habet. Frontem perfricant amentes iſtiusmodi Dogmatiſtæ, &, cum ſemel verecundiæ limites transgreſſi ſint, gnaviter impudentes permanent, ſuamque inebriationem ebulliunt pudendam. HOMINIS TRES PARTES ESSENTIALES ita in vulgus Enthuſiaſticum percrebuere, ut nonnemo Trinitatem humanam inde exſculpere fuerit conatus. Quin furibundus Autor Tractatus Tutonici, des hellleuchtenden Hertzen-Spiegels/ hanc trichotomiam loco baſeos aut fundamenti poſuit, ut totam maniacæ Theoſophiæ ſuæ machinam ei ſuperimponeret. Et vero quid frequentius eſt, per ſpiritum non ſuperiorem quandam intellectus & voluntatis facultatem, quæ circa ſpiritualia verſatur, ab amatoribus horum dogmatum intelligi, ſed aliquid intimius anima, intellectu & voluntate, aliquid ſublimius fide, aliquid excelſius notitia fiduciali, divinitus excitata & revelata, quo res divinas homo apprehendat? Quæſiti, quid ſit illud? cum ignariſſimis ſcire ſeſe profitentur, aut certe dicere & ex Verbo Dei probare non poſſunt.

I.

IDEAM HOMINIS MYSTICI multi in eo poſitam volunt, ut Platones redivivos, imo & Stoicos, Abſolutiſmum fati ſui tuentes, nullo negotio animadvertas. Evacuatus eſſe putatur Myſticus noſter ab omni affectuum ſtrepitu, ab omni tum intellectus, tum voluntatis operatione, legi fatorum adamantinæ aſtrictus, nulli fœtori oborto cedens, aliorum injurias & contumelias exantlare impenſe deſiderans, tam rationi, quam divinæ revelationi, in Verbo expoſitæ contraria ſuma cum prurigine pertendens, omnem amorem ſui ipſius, quantumvis ſub Deo a nobis ad Deum ipſum jubentem ac præ nobis amandum dirigatur, & ad æternam noſtram ipſorum ſalutem feratur, abominans. JEHOVANI, audiunt Oligero Pauli, Viſioniſtæ Dano, Philadelphi, ex Chriſtianis & Judæis compoſiti, cœtus Eccleſiaſtici. IGNIS, gradus viæ unitivæ ſine Verbo accenſus: prout etiam ILLUMINATIO SINE VERBO, immediata revelatio JESU CHRISTI in anima Roſenbachio vocata; irradiatio ſolis Kuhlmanno viſa; cui refractio radiorum

diorum ſolarium putata ejusmodi lumen, per quod in tertium usque cœlum raperetur. Similia pene ſomnia, quantumvis extra Parnasſum, obrepſerunt Antoniæ Bourrignoniæ, Poiretti Magiſtræ, quam Acta Eruditorum Lipſienſium nobis operoſius dedere jam pridem deſcriptam. Hæc ipſa IMMEDIATA OPERATIO DIVINA, & non Scriptura, non Verbi externa prædicatio, eſt principium Theologiæ Pſeudomyſticæ effectivum. Unde emerſit iſta, quam notavimus, inter Theologiam Scripturariam & Myſticam, *ἀντιδιαίρεσις*. Atque ita ex ipſis Scripturæ notionibus non poſſunt non fieri *στρεβλούμεναι* dictiones, Satana evadente Dei ſimio. IMMERSIO ESSENTIALIS RUSBROCHII IN SUPERSUBSTANTIALEM ESSENTIAM. Hanc qui ſubit, etiam juxta Ludovicum de Ponte in tergemina Dei contemplatione defigitur. Intuetur primo Deum ea ratione, qua concipitur fuiſſe ante mundum: deinde contemplatur eundem ex operationibus, non externis, ſed quæ in ipſo Deo reſideant, & prout ipſe cum attributis ſuis eſt omnium perfectionum perfectio. Elevari itaque hoc pacto mens exiſtimatur ad ſpeculandam incredibili cum *αὐταρκείᾳ*, delectatione ac gaudio ſapientiam, bonitatem, miſericordiam, juſtitiam, omnipotentiam & amorem Dei. Et hactenus quidem immerſio iſthæc videri poterat optabilis laudabilisque, dummodo mens non læva foret, neque malum naſceretur ex quolibet defectu. Tertius enim modus contemplandi Deum altius aſcendlt, & magnum illum Deum in ſupramundana illa eremo ſive ſolitudine aſpicit, eſſentia quidem unum, ſed perſonis trinum. Quaſi vero Deus, ſi, ut ante conditum mundum extitit, ſpectatur, non ita veniat ſpectandus, quatenus unus in eſſentia & trinus in perſonis eſt. Præterea percontari lubet, cur Molinoſus, qui ſibi videbatur Deo penitus immerſus, ex hac conſideratione Humanitatem Chriſti, in conſortium SS. Triados aſſumptam, excluſerit, neque actum amoris erga illum, quia ſit objectum ſenſibile, crediderit venire eliciendum. O caliginoſam & impiam immerſionem! IMPECCABILITAS putatitia accedit, qua mire ſibi abblandiuntur ſanctuli noſtri. Niſi vero *ἀναμάρτητος* fuit Tereſia,

magna evomens odia in primos noſtræ Eccleſiæ Reformatores. Hoccine fuit ſubſiſtere in quiete & reſignatione? Hoccine fuit omnia relinquere Deo dijudicanda, dirigenda ac determinanda? Niſi porro Kempiſius, imagines & ſtatuas colens, Mariolatra, Sanctos & Angelos invocans, a cultu creaturarum in anima ſua quieverit, aut niſi Taulerus, miſſalis idololatriæ ſordibus conſpurcatus, ab omni labe fuerit immunis. Laudavit eum Megalander Lutherus, ut didactice loquar, in tantum, ſed non in totum. IMPRESSIO, die Ziehung der Begierde zum Weſen/ ſich qualificiren/ ſein Weſen und Leben inqualiren. IMPULSUS, impetus, qualem Vates gentilium ſenſere, declamantes apud Naſonem:

Eſt DEUS in nobis; agitante caleſcimus illo:
Sedibus æthereis Spiritus ille venit.

INACTIVITAS, ceſſatio ab omnibus mentis cogitationibus Quietiſtica, eremi myſticæ, ſeceſſus, otii, ſolitudinis aliisque technicis iſtiusmodi vocabulis adhuc inſignita. INDIFFERENTIA dicitur reſignatio, mortificatio noſtræ voluntatis ac deſideriorum, ſilentium deſideriorum, ſacrificium ſpirituale, quo nos Deo immolare jubemur. Petruccius aliique Rigidiſtæ ſtatuunt, Indifferentiam iſthanc pertinere ad naturam & intrinſecam conſtitutionem orationis, cujus ratione Orans Myſticus nihil quicquam in precando deſiderare debeat, & tamen precari. O dirum oppoſitum in appoſito! Puriſſima quippe Indifferentia cenſetur, ſi tali in ſtatu mentis orans ne quidem æternam ſalutem a Deo petat. Sic oraſſe arbitrantur etiam Catharinam Senenſem. Anne vero malum! ita quoque oravit Chriſtus, cujus veſtigia in orando tutiſſime ſequimur? Fuitne illi indifferens, cum animam in cruce in manus Patris commendaret, eſſetne illa in ejus manibus, an non? Eccur itaque nos, orationem ejusmodi paſſivam æmulando, indifferentes ſimus, utrum damnari, an ſalvari, malimus, cum Salvator noſter indifferentiam iſtam minime omnium exercuerit? Eccur una cum Myſtica Chantalia, cum Tereſia a Confeſſionibus, cum Gregorio Lopezio, cum Balthaſare Alvareſio dicat moribundus: Si placeat Deo, domicilium mihi perpetuum aſſignare in

infer-

inferno, equidem contentus ero. At at! Deus noſter bonus eſt; non vult mortem peccatoris; ſed ut convertatur, & æternum vivat. Moſes quidem certe, deleri ex libro Dei cupiens, non aluit ſacrificium amoris neſcio cujus indifferentis, ſed miſericordiæ flagrantiſſimæ erga populum Iſraeliticum. Nec in Paulo, qui deſiderat anathema eſſe pro fratribus, reperta fuit iſta indifferentia amoris erga Deum, ſed potius exceſſus amoris erga fratres ſuos ſecundum carnem. Proin grande delirium Myſticorum eſt, & abſurdiſſimum omnium abſurdorum, quod ne quidem viſio beatifica augeat amorem Dei, verum ſit indifferens & abſolutum quid. Fratrem certe, quem videmus, diligimus; anne non multo magis Deum? Cæterum de Indifferentia Philadelphica conſuli poteſt Diatribe noſtra de Neutralitate religionum. INFERNUM aliqui non pro incentivo amoris erga Deum, ſed pro impedimento ejusdem interpretantur. Inferni fundamentum, quod in anima ineſt, baſin æternæ beatæque vitæ ſolidiſſimam Poirettus vocare non erubuit. Inferni timorem penitus abdicare Novatores noſtros, jam monuimus, oblitos, frugi cives timere innocenter carcerem, & tamen diligere pios Magiſtratus poſſe. Alii deſcenſum hunc myſticum pœnitentis peccatoris ad inferos ad ſtatum contritorum, quatenus Chriſto Mediatori per fidem nondum inſerti ſunt, reſtringere annituntur, in quo etiamnum ſint φίλαυτοι, idololatræ, & ſic impœnitentes, atque ex amore ſui ipſorum juſtitiæ divinæ adverſantes; unde acquieſcant pleniſſime juſtitiæ divinæ, ejusque ſanctitatem celebrent, ſi per hos cruciatus eſſe debeant victimæ juſtitiæ Dei vindicativæ. Verum ſi hæc explicatio firmo ſtat talo, tum α) pœnitentes erunt ſimul impœnitentes, imo idololatræ propter amorem ſui ipſorum. β) acquieſcent pleniſſime juſtitiæ divinæ, & tamen eidem ſimul hoc ipſo ex philavtia adverſabuntur, eo, quod per fidem Chriſto Mediatori non ſint inſerti. Neque enim pleniſſima ejusmodi acquieſcentia conſiſtere poteſt cum adverſitate & pugna contra juſtitiam divinam: γ) celebrabunt Dei ſanctitatem ita, ut iſthæc celebratio Deum magis offendat & ad iram provocet. Nimirum lex iram operatur; & poſſibile non eſt placere

Deo ſine fide. Quin hæc ipſa celebratio non poteſt dirigi ad gloriam juſtitiæ Dei; ſed potius contritio fidei expers eſt fuga Dei, eſt terror legalis, ac multoties in deſperationem degenerat. δ) Ecqui idololatra, ex ſemet ipſo idolum faciens, & fidei expers, ſanctiſſimo juſtitiæ divinæ dictamini acquieſcet? Quin fugit potius Deum iratum, ceu innui, utpote qui eſt ignis conſumens ac terribilis. Lex etiam nullam acquieſcentiam in eo, qui Chriſto per fidem non eſt inſertus, excitat, verum eidem potius maledicit. ε) Confunduntur nunc ea, quæ contritioni ſolitariæ vendicanda prius ſtatuebantur (Qualis enim, obſecro, eſt illa triſtitia, niſi dolor ſecundum mundum, quæ mortem operatur atque æternam damnationem) & quæ contritioni ſalutari, quæ ad ſalutem eſt, quæque cum fide ſalvifica in Chriſtum conjungitur, tribui certo ſenſu certaque ſub limitatione poterant. Atque ita ς) implicat, poſſe aliquem priore modo contritum celebrare *θεοαρεσκόντως* ſanctitatem & juſtitiam divinam. Quicquid enim non eſt ex fide, peccatum eſt. ζ) Nihiloſecius implicat, poſſe aliquem, poſteriore modo contritum, in foro conſcientiæ interno coram facie Chriſti, ſimul Evangelice apprehenſi, ſeſe ut victimam juſtitiæ divinæ infernalem cum acquieſcentia reputare; ſed potius opus eſt, ut hic ſeſe hæredem æternæ ſalutis certiſſimum ex teſtimonio Spiritus Sancti, per Evangelium lato, agnoſcat. Antinomiſmum alias incurremus manifeſtum, ſi hoſce limites tranſilire ſuſtinuerimus. INFALLIBILITATEM imaginariam perinde exibilant cordatiores, ac impeccabilitatem iſtam, ſuper qua paulo ante epicriſin tuleramus. INFUSIVA ORATIO in Theologia cordis, prout vocatur, contradiſtinguitur orationi meditativæ ſeu diſcurſivæ, in qua intellectus plurimum ſit operatus, & affectivæ, in qua voluntas plurima præſtet. Cæterum in oratione infuſiva intellectus neque intelligit, neque voluntas vult; ſed datur vacuum myſticum, mera paſſivitas, & annihilatoria ſui quies. Hic ergo Deus ita omnia agere putatur, ut pios motus etiam ſine piis motibus excitet. Qui ſi non eſt denuo Quakeriſmus in Quietiſmo, neſcio, quid aliud ſit, aut appellari mereatur. INGRESSUS AD INTERIORA, non Aſaphicus in Sanctuarium, ſed ecſtaticus in adyta cordis, ſuperſtitione & ele-

ctitio

ctitlo cultu effaſcinati, convenit cum eremo & ſolitudine animæ parabiblica, quam ſupra jam reprehendebamus. Ingreſſus ad Deum, der Eingang / das Einkehren in GOtt / nuncupatur etiam introitus in cubiculum, in die Braut-Kammer / quantumvis juxta alios hæc gradibus ſuis diſcernantur: itemque introitus in caliginem divinam, qui eo ipſo, dum Deum ſcimus, in ignoratione ejusdem conſiſtere putatur. Quæ ſunt hominum in otio negotioſorum, & altiora viribus ſapientium, ineptiæ; juventuti, ne omnia alia capeſſat præjudicia, identidem explicatius proponendæ. Horſum facit INSPIRATIO BOEHMISTICA; horſum INTELLECTUS PENETRATIO, LIGATIO, EVACUATIO: Horſum INTELLIGENTIA UNIVERSALIS DEURHOFFIANA, fato fatuo & brutali obnoxia, & incaſſum pro ſumma perfectione venditata, reduci queunt. Horſum aggregantur INTERNA, in antitheſi ad externa. Talia ſunt apud ipſos internus homo, quem ſibi perſuaſum habent eſſe Sponſum Cantici Canticorum, cui vendicant internam vitam, externæ oppoſitam, quique non ſubſcribit Symbolis & Confeſſionibus, quantumvis homo externus fidem iis juratoriam addicat, & hanc ſubſcriptione propria faciat teſtatam: Interna pax, ſeducens ita animatos ad ſecretiorem arrogantiam & merum Phariſaiſmum: Internum, inſitum, naturaliter implantatum verbum, quod ipſo etiam revelato ſanctius eſſe credunt, & religioſius venerantur, ajentes, man ſolle an der Heil. Schrifft nicht hangen bleiben. Internus mundus, welche (innere Welt) ſey eine Göttliche Weſenheit / daraus die eußerliche Welt nur eine Außgeburth genennet werden möge: Internus Baptiſmus, Interna Cœna, cum rejectione externi Baptiſmi, & externæ Cœnæ; ſiquidem hæc viſibilia Sacramenta ad eſſentiam Chriſtianiſmi ne quidem attinere judicantur. INVISCERATIO eſt transſubſtantiatio hominis devoti, ſeu mutatio paſſiva in ſubſtantiam divinam. INVITATIO AMICORUM DEI non per Verbum Evangelii κατ᾽ ἔξω, verum κατ᾽ ἔσω, intro ET ab intra. IRRADIATIO CHRISTI IN ANIMA, veterum Anabaptiſtarum & Schvvenkfeldianorum inane delectamentum & vaniſſima gloriatio,

 qua

qua ſemen Verbi etiam ante converſionem homini inſpirari autumarunt, atque adeo Spiritum Chriſti contingere homini ſine Verbo externo docuerunt. JUBILUS, non Sanctorum apud Prophetas, neque veterum Chriſtianorum, cum ſubſultu in fine precum conjunctus, ſed ex raptu mere enthuſiaſtico profectus, JUDÆORUM CONVERSIO CHILIASTICA, SIMULTANEA, ACTUALIS, UNIVERSALIS, ante diem extremum futura, una cum opinionibus Judaiſmo confinibus conclamatum Pſeudomyſticiſmi ſuſcitabulum & fomentum eſt. JUSTIFICATIO DUPLEX, una per ſententiam, altera per executionem ſententiæ divinæ, quæ in reali abſolutione peccati & expulſione ejusdem e ſubjecto conſiſtat, quæque adeo ſitipſa ſanctificatio, eine hergeſtellte Heiligung / da wir die Gerechtigkeit eſſentiell in dem Weſen GOttes finden můſten / item eine Fromm-machung / item efficientia juſtitiæ in nobis ante juſtificationem productæ, quæ eſt interpolatio Oſiandriſmi, confundens ſimul emundationem a peccato, per Sanguinem JEſu Chriſti factam, cum purificatione ea, qua noſmet ipſos mundamus; & anteriora poſterioribus inſubide poſtponens. Quin etiam a ſpiritibus novellis] JUSTITIUM RATIONIS ET SENSUUM jactitatur, eſſe omnimoda intermiſſio actuum facultatis animæ rationalis & ſenſitivæ, retrahens hominem a cogitando, volendo, videndo, audiendo, guſtando, tangendo & olfaciendo quælibet exteriora, conveniens cum introverſione ejusdem in ſemet ipſum; cum tamen Scriptura nuſquam jubeat, quod in devotione omnem omnino amittere debeamus ſenſum; ſed fides potius ex auditu procreetur; & ſancti homines in Scriptura non ſine magna ſenſuum internorum & externorum commotione, ſpiritusque jam exultatione, jam contribulatione, Deo ſervierint.

K.

KABBALISTICA THEOSOPHIA. Nolo equidem hic illam ex inſtituto denudare: prout Arbor ejusdem, ab Hackſpanio noſtro depicta, *ab Enſoph* usque ad *Adonai Malcuth* per *Ehjeh Cether*, *Jah Chochma*, *Jehovah Binah*, *El gedolah* (Reuchlinus pro gedolah poſuit cheſed) *Elohim gebhurah*, *Jehovah Tiphereth*, *Jehovah Zebaoth Nezah*

zah, *Elohim Zebaoth Hod*, & *El Chai Jeſud*, protenditur. Hypotheſis Platonizans a Recutitorum minus recte ſentientibus Magiſtris aſſumpta pridem eſt, quod eſſentia divina cum attributis ſuis in omnia entia creata, non tantum ut cauſa tranſiens, ſed & immanens influat, ita quidem certe, ut eſſe, fieri & operari horum non modo per actionum productionem & conſervationem effectivam, ſed & per emanationem ſephirothicam & ingredientiam conſtitutivam, inde dependeant: ut adeo Adonai Malcuth, item Chai Jeſud non modo vivificet, fundet & gubernet hoc univerſum, tanquam ſui effectum, ſed etiam tanquam ſui partem aut compartem; utque adeo unica duntaxat exiſtat ſubſtantia, quæ Deus ſit; & præter eam nulla: hæc autem varie modificetur, & vel extenſa, vel cogitans, vel perfecta, vel imperfecta ſit, atque hoc modo omne ens creatum nihil ſit aliud, quam eſſentia Dei modificata. Architectus immanium horum abſurdorum fuit Benedictus Spinoſa, quem tamen defenſitant alii, cauſantes, eum vocabulo Dei duplici ſub notione uſum fuiſſe: aliter quippe hunc loqui de Deo in ſe conſiderato, quem Cabbaliſtæ *Enſoph* appellent; aliter de Dei prima emanatione, quam Hebræi nuncupent *Adam Kadmon*: non de iſto interno, ſed de externo hoc Deo Spinoſam iſta enunciare: de hoc quoque vere dici poſſe, quod, quicquid exiſtat, Deus ſit: cæterum Deum non realiter, verum ſolo conceptu a mundo differre, & res creatas eſſe duntaxat expreſſiones in exiſtentia factas earum veritatum æternarum, quæ in Deo ſint qua eſſentiam, ſeu mavis, mundum eſſe expreſſionem exiſtentialem divinorum attributorum & eſſentiæ, ita, ut præter omnes res creatas ſimul ſumptas nihil reale detur, quin Deus dici poſſit, ſolusque adeo conceptus Dei univerſalis remaneat. Stante igitur hypotheſi iſthac, mundus erit naturæ divinæ neceſſarius & immanens effectus, perinde, ac ſequitur ex natura Dei hoc, ut Deus ſemetipſum intelligat, ametque; & hoc univerſum poterit dici Deus manifeſtatus. Ita illi. Miror certe, Catones, alias maxime auſteros, hypotheſiomaniæ huic blaſphemæ aures patefacere. Cui tandem me ſimilem pronunciabitis, mortales? dicit Altiſ-

ſimus,

ſimus. Num igitur ex creatura Creatorem, ex rana, mure, lapide, imo ex ipſo Diabolo Deum efficere fas eſt? Num ex Creatore creaturam? Num duos tandem conſtituetis Deos? Num Deum in Non-Deum transmutabitis, & Atheiſmum introducetis? Num vero Deus haud dicitur ὁ ὢν, & creaturæ τὰ ὄντα? Num haud dicitur τὸ Πνεῦμα, & Creaturæ τὰ πνεύματα? Ecqui ergo Angeli poterunt eſſe Dii proprie ſic dicti? Ecqui mundus poterit eſſe Deus? Num יקום in diluvio interiens fuit ipſe Deus? Num tollere ſimplicitatem Dei ita convenit & mutabilitatem? Inferre porro e ſacro lubet codice: Si Deus eſt rerum omnium cauſa immanens; equidem non reperio, qui τὰ ὄντα creata fuerint ante creationem μὴ ὄντα, ac τὰ φαινόμενα antehac fuerint μὴ φαινόμενα. Arguo: Si creaturæ ab æterno non fuerunt, ſeqv. quod nec in eſſentia Dei fuerint ab æterno; & per neceſſariam ἀκολούθησιν nec eſſentia Dei earum cauſa immanens eſſe poteſt. Apparet autem hinc, ecqui Kabbaliſmus iſte & Spinoſiſmus Leenhofianus Cenſorinis alias longe ſeveriſſimis arrideat. Fundamentum enim Enthuſiaſmi Platonici, quo in ſinu gaudent, & quem præter ſe omnes ad unum Diſſentientes ne quidem percipere arbitrantur, ille ſternit. Imo vero & originem idololatriæ, & fœdum gentiliſmum oſtentat. Si enim omnia ex eſſentia Dei ita pullulant, ut Deus ſit cujuslibet creaturæ principium internum, cauſa immanens & pars eſſentialis; E. cum Ægyptiis etiam allia, canes, feles, ſerpentes &c. adorare debemus. Frivolum itaque eſt, cum Spinoſa Kabbaliſtico per naturam naturantem intelligere unicam illam ſubſtantiam infinitam; per naturam vero naturatam intelligere ſubſtantiæ hujus modos, realiter a ſubſtantia illa infinita non differentes, ſed per emanationem ſephirothicam inde fluentes, adeoque cum illa ejusdem eſſentiæ. Temerarium quoque, creationem ex nihilo, & ſubſtantiæ finitæ exiſtentiam cum eodem inficiari. De Sephiroth nihiloſecius tralatitium eſt, quod cum Autore Præfationis in librum Schaare quidam opinentur, proprietates divinas ita nuncupari a puritate & claritate, ex ſignificatione Ex. XXIV, 10. *Opus lapidis Sapphirini.* Quemadmodum enim in

re

relucida conſpiciuntur formæ: Ita ſecundum Cabbaliſtarum tradita Sephiroth ſunt typus omnium entium. Et quemadmodum res conſpiciuntur in re lucida ſine ulla additione: ſic conſpiciuntur omnia in iſtis Sephiroth ſine additione. Optimi ſunt Cabbaliſtæ Chriſtiani, Chriſtum cum cruce ſine ulla σκολιοδοξία venerantes & colentes, in quo inſtar Sapphirorum ſupereminentiſſime Corona, Sapientia, Intelligentia, Magnitudo, Fortitudo, Decor, Victoria, Gloria, Fundamentum, & Regnum emicant ac refulgent. Quandoquidem, canente Fortunato,

Vexilla Regis prodeunt
Fulget crucis myſterium,
Quo carne carnis conditor
Suſpenſus eſt patibulo.
Arbor decora & fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno ſtipite
Tum ſancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Secli pependit præmium;
Statera facta eſt corporis,
Tulitque prædam Tartari.

L.

LÆTITIA, ex errorum fanaticorum ſeminibus enata, quidvis potius aliud, quam lætitia Spiritus Sancti eſt. Etenim ſi contemplantes deponunt omnes affectus; deponent etiam gaudium, præſente voluntaria actuum noſtrorum denudatione, abdicatione, divulſione, expropriatione, exſpoliatione, evacuatione. Quaſi vero concupiſcentia originalis in homine id permittat, ut omnes exuat paſſiones; & quaſi beatitudo regeneratorum inchoata etiam in hac vita expers gaudii eſſe, & mens in Deum ſuſpenſa, aut in fruitione ejus tanquam ſummi Boni defixa, ſine gaudio manere queat. Aliter Maria, cujus ſpiritus exultat in Deo Salutari ſuo. Aliter David, qui cum filiis Core ſuſpiravit orando ad inſtar cervi, ad fontes aquarum anhelantis. Quin haud paulo horribilius eſt, ſi qui ſuper nulla

E re,

re, niſi propria ſuper deſperatione gaudendum, omneque adeo deſiderium beatitudinis deponendum eſſe, rentur. Stoica hæc eſt lætitia non-lætorum; & abſonum dictu, quod verus Chriſtianus per totam vitam ſine ſolatio eſſe debeat. Increpet te Dominus, o Satan Myſtice! Intenſus nimium nequit haud diſrumpier arcus. Quin cor & caro noſtra exultet in Deo vivo, & ſpiritus noſter cum Maria tripudiet in Salutari noſtro. Etenim ipſe Salvator mandat: Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit perfectum. Et Paulus Philippenſibus geminum imperat gaudium. LIBERTAS IN ORANDO eſt perfectio animæ putatitia, qua ſibi perſuaſum habent Libertini, omnes cogitationes, quæ ſibi ſucurrunt in ſilentio & quiete talis orationis, nihil eſſe, niſi lumina & inſpirationes divinas; &, quia ſint ipſius Dei lumina, ideoque non ſubjecta eſſe ulli legi. Unde accidit, ut credant, omnia eſſe ſibi permiſſa, quæ in mentem & ſpiritum ſibi incidant. Talium hominum ſpiritus, ubi vult, flare, & neutiquam redhibendus aut coercendus eſſe putatur: ut adeo, ſi errent, nullum alium admittant errorem, quam & naturaliter & ſupernaturaliter inſuperabilem. Hanc quidem certe Epiſcopii & aliorum excuſationem pro Libertiniſmo Anabaptiſtarum vulgo afferri conſtat. LIGATIO INTELLECTUS, VOLUNTATIS ET SENSUUM, eſt ſtatus orationis mere paſſivæ, in qua orans nihil omnino agere, nullum motum in ſenſibus, nullum in intellectu, imo nullum quoque in voluntate habere; ſed ab his omnibus abſolute quieſcere debere judicatur: quandoquidem operationes omnes ſenſuum externorum & internorum mentem impediant, quo minus poſſit Deum caſte & pure attingere; præterea per tales facultates atque potentias objecta nimis materialiter proponantur, cum tamen Deus ſit adorandus in ſpiritu & veritate. Hoc eſt, devotio, pura in Deum tendentia, & ſequens cum Deo unio debet eſſe mere ſpiritualis: nec juxta τὰς φιλοτοιὰτας actiones phantaſiæ, ſenſus communis, aliive actus mentales & vitales cum orantium mortificatione & annihilatione deificatoria ſtare queunt. Incruſtatio certe hæc magna eſt, quæ vel acutioribus ingeniis, extra cancellos Verbi revelati ſemel abſtractis abreptisque, per hujusmodi

illicia

illicia & fiſtulas dulce canentes impoſuerit. Sed nihil dixerim de eo, quod vel Philoſophice ἐκ τῶν ἀδυνάτων ſit, ut homo vivus, in quo vitales operationes ſeſe legitime exerunt, ligaturas ejusmodi ſuæ phantaſiæ & communi ſenſui injicere valeat, vimque inferre ſenſibus propriis, tum internis, tum externis, ut iisdem uti per annum, nedum per totum vitæ ſuperſtitis intervallum, nequeat. Fallor enim, an captivationem phantaſticam & rationis & ſenſuum ſub obſequium fidei, etiam contra mentem Apoſtoli, Rigidiſtæ illi mihi reponent, &, ſtatum controverſiæ immutando, urgebunt, ſatius eſſe, ſceleratorum hominum ſenſus eſſe conſtrictos, quam adeo impune ac licenter peccare. Enimvero cum Scholis Orthodoxorum hoc in præſenti inculco, & pie expendendum ſiſto א) quod Chriſtus, orationem Dominicam, ceu perfectiſſimum omnium orationum Chriſtianarum exemplar, nobis præeundo, ne jota quidem de hac paſſivitate poſuerit, neque alibi vel præceptum, vel promisſum ſuper ea ſcriptum reliquerit. ב) quod orans per hanc ligaturam omnium animæ operationum fiat non-orans. Arguo enim: Si anima, in tali paſſione conſtituta, plane nihil eſt proprie loquendo: ſed Deus ipſe, in quem transformatur ſic orans homo, omnia agit; tum invicte ſequitur, aut, quod non homo oret, ſed Deus ipſe in homine, aut, quod homo, Deum adorando, adoret ſeipſum. ג) quod externa ſenſoria, oculi, aures & lingua, dum in uſu legitimo ponuntur, devotionem non impediant, inſtar multorum exemplorum docent Apoſtoli, beati a Chriſto prædicati eo, quod Chriſtum oculis viderent & auribus audirent; id quod certe ſine devotione non factum. Et vero ex horum numero Petrus in monte, Chriſtum clarificatum videns, ſeſe devotum fuiſſe, ipſemet teſtatur. Neque etiam Jobus, oculis Deum Goelem ſuis intuens, devotione carere, aut ab eadem per ocularem viſionem impediri, putandus eſt. Imo ſi externi ſenſus omnino impedirent internam devotionem, ecqui rationabilem & ſpiritualem cultum Deo offeremus, corpora noſtra Deo, tanquam hoſtiam viventem, ſanctam & Deo placentem immolando? ecqui Deum in corpore noſtro glo-

 rifi-

rificare juberemur ? ecqui piorum corpora audirent Spiritus Sancti templa, ſi omnis ſpiritualitas orationis ac unionis myſticæ tolleretur per materialia? Ohe! quæ, qualis, quanta mentem ſubit effaſcinatio, ſi Molinoſus & alii ab objecto orationis paſſivæ omnia objecta materialia, etiam Chriſtum, ejus paſſionem, mortem, reſurrectionem, vulnera, Sanguinem, ſumma certe incentiva precum & amoris divini, rejiciunt ? Hoccine non eſt enecare ac jugulare unico ictu omnem orationem Deo placentem ? Fruſtra tandem a talium Evchetarum defenſoribus obtenditur diſtinctio, quod Chriſtus ſummus ſit Deus per eſſentiam ; anima vero deificata ſit Deus per gratiam ; quandoquidem miſcetur in hoc poſteriore aſſerto & confunditur gratia immediatæ identificationis, de qua controvertitur, cum gratia mediatæ converſionis ac regenerationis, ex qua θέωσις iſta nullo jure elicitur. Imo & gratia imaginis Dei accidentalis, in nobis inſtauratæ per Chriſtum, gratiam imaginis ſubſtantialis, nobis collatæ, haudquaquam infert. LINGVA NATURÆ BöHMIANA ; petulans & ipſa delirium eſt, adeoque tum αἰσθήσεως, tum κολάσεως δεόμενον. Ecquis enim magna myſteria in tam putido commento quærat, illamve linguam Böhmio a Spiritu S. communicatam cum Heinrico Moro exiſtimet ? Quin navigatione ad Anticyras & helleboro opus habuit ſutor Görlicenus, quando, crepidam & calceos tractans, gallorum, canum, avium, luporum, imo omnium animalium voces ſeſe callere, confidentius asſeveravit. Alii hanc linguam naturæ ad argutias Cabbaliſtarum revocare amant, quibus ſeductus naturam pro Deo habuerit, Trinitatem naturalem crediderit, & ſic linguam naturæ jactitarit. Fabulæ! LIQVEFACTIO, die Zerſchmeltzung / qua totus homo purum putum evadit nihil, proprie ſic dictum, ejusdemque integra ſubſtantia proprie loquendo transmutatur atque convertitur in ſubſtantiam divinam, ſive mavis, cum Ipſis loquar, divinizatur, perinde, ac ſubſtantia ceræ in ignem, aut particula terræ in mare, diſſolvuntur. LITERA MORTUA, hoc eſt, ipſe literalis & a Spiritu S. directe intentus Scripturæ ſenſus, quem occidere illi putant, cum tamen ſola Lex, Evangelio contradiſtincta, & prout infirmatur a

carne,

carne, occidat; neque Cainus, fratrem occidens, illico fuerit mortuus. Seb. Francus & alii ſuccenturiantur, aſſerere non veriti, die Schrifft ſey ein lebendiger Tod/ wo man nicht GOttes Wort hinein trage: ſie ſey nicht die Seelen-Artzney. Tam miſere ipſe ſenſus Scripturæ literalis cum uſu literali, hoc eſt, carnali confunditur, & Verbum Chriſti forinſecus prædicatum, quod Spiritus & vita, quod potentia DEI eſt, a Scriptura ipſa divellitur. LITIGIUM, das böſe/ ſo GOtt zur Welt gebracht/ Manichæorum iſtud principium, quod veſana plurium cohors etiamnum amplectitur, contendentium, DEUM ex duobus principiis contrariis omnia produxiſſe, æternisque diſſidiis, inter ſe pugnantibus, facta commiſcuiſſe, & in partes aſciſcentium iſtud Apoſtoli, quod non ſpiritum mundi, ſed Spiritum ex DEO acceperimus. Enimvero Spiritus ex DEO utique eſt Spiritus Sanctus, qui principium omnis boni eſt; at per ſpiritum mundi intelligitur ſpiritus tenebrarum, quem cum Spiritu ex Deo temperatum et commixtum eſſe, minus caſte aſſeverant inſanientis ſapientiæ æmuli. Evidenter quippe Paulus hos duos ſpiritus inter ſe dirimit, non autem combinat conſociatve. LUMEN IMMEDIATUM, INTERNUM, PHILADELPHICUM, eſſentiale, quod quis ſentiat ſine ſenſu, percipiat ſine perceptione, denuo ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ eſt. Ecqua enim, ordinata de potentia DEI loquendo, LUX ſine Verbo homini per quaſcunque ipſius præparationes & opera contingat? Lumen Scripturarium Rathmanni, extrinſecus adveniens Scripturæ, itidem a rectiora docentibus improbatur, utut ſubinde reſuſcitetur & reviviſcat in nonnullorum ſubſelliis dudum ſolide exploſa ſententia, es habe die H. Schrifft keine Erleuchtungs- und Bekehrungs-Krafft in- und bey ſich/ ſondern ſie ſey an ſich ſelber ein todter Buchſtabe; wann ſie aber geleſen/ oder erkläret und angehöret werde/ ſo komme ihr ſolche Krafft von außen zu/ vom Heil. Geiſt/ eben wie ein Beil keine krafft Holtz zu hauen in ſich hat/ ſondern ſolche von außen bekommet/ wann es der Holtzhauer mit der Hand ergreiffet/ und damit hauet: im übrigen ſey in des

Menſchen Hertz ein ſolches Liecht / daraus die Bekehrung fließe/ und komme die H. Schrifft / als GOttes Wort / nicht in die Seele des Menſchen / auch ſey Chriſtus bloß objective und ſignificative in der Schrifft zu finden.

M.

MAGNIPHOSAURUS, anima mundi, Das geiſtliche Weſen aller Dienge ab Epoptis ſacrorum Myſticorum, videndo minus videntibus & intelligendo minus intelligentibus, vocitatur. Reducere huc amant Theoſophi pactum Veteris & Novi Teſtamenti, & ſomniis multijugis Böhmii palliandis utramque facere paginam. Traduntur hic MANIFESTATIONES INTERNÆ Autoris Theologiæ Comparativæ, quas Spiritui Sancto tribuit, quæque, in deterius ſemper ruente ſeculo, ab irregenitis percipi non potuerint; quo nomine modus docendi homines de voluntate DEI per verbum externum, idque ſatis craſſum, corporeum, & per ſenſus demum externos in mentem penetrans, a Deo in ſubſidium vocatus fuerit. Neve id ſine ratione docuiſſe videatur Impoſtor, cauſatur, vocem Spiritus Sancti lenem eſſe, tranquillam ac ſubmiſſam, levi ſibilo in corda regenitorum ſeſe inſinuantem. Quaſi vero Spiritus divinus per codicis Biblici, ejusdemque ſcripti, ſalutarem uſum nequeat eſſe tranquillus & lenis; & quaſi nigellæ innoxiæque in chartis lineolæ aliquid impuritatis in ſe habeant, quo prohibeatur Spiritus Sanctus, quo minus mentem ſuam nobis per illas manifeſtet. MARTYRIUM MYSTICUM, quod aliis dicitur purgatio paſſiva, per impedimentum devotionis geminum deſcribitur, partim per ſublimem atque eminentem tentationem, in derelictione divina, caligine mentis & ariditate ſpirituali conſiſtentem, partim per famem ſeu eſuritionem animæ infeſtam. Horſum agglutinant alii eremum & infernum, de quibus jamdum antehac aliquid vidimus. MATRIMONIUM cum DEO, A VIRGINIBUS FATUIS AFFECTATUM. Fœmina quidem certe Gallica de Guion una cum aſſeclis ac Patronis, ſuper hoc conjugio aut matrimonio plane non eſt audienda, vel hanc ſolum ob rationem, quoniam juxta expoſitionem illius anima, quæ

ad

ad eſſentialem ejusmodi, qualem fingit, cum DEO unionem pervenit, Chriſti Humanitatem vel Divinitatem non reſpiciat, nec reſpicere debeat: ſiquidem illa ſaltem ſit incipientium, qui in primo illuminationis gradu verſentur, non qui in ſtatu ſint perfecto, utpote qui cum ſolo DEO eſſentialiter uniantur. Tales profecto Virgines, qui Chriſtum ſponſum vilipendunt atque erubeſcunt, non ſunt Apocalypticæ, nec ſtolas ſuas Sanguine Agni laverunt; ſed in periculo animarum graviore ſunt demerſæ, ac præcipitis ἐθελοθρησκείας deliquio a ſpiritu mendacii ſubmerſæ. Opponis, multa hic a Gvionia & aliis longe plurimis interſeri, quæ ad Salomoneam & Hoſeanam animæ cum Chriſto deſponſationem ſint applicabilia. Dico itaque, doctrinam Gvioniæ minime gentium eatenus rejici, quatenus cum Scriptura conſentit; ſed quatenus ab ea diſſentit. Sic in ſcriptis nullis non heterodoxorum aliis id, quod orthodoxe ſubinde interponitur, laudatur; neque minus tamen id, quod a veritate divina diſſonat, vituperatur. Sic in œconomo iniquitatis laudatur prudentia, non iniquitas ipſa. Quæcunque igitur effata minus conveniunt vero Scripturæ ſenſui, ea non in theſi, verum in antitheſi potius applicabilia nuncupamus. MEDITATIONEM dicunt orationem activam; at contemplationem, ei oppoſitam, ſalutant orationem paſſivam Illi, qui de unctione gloriantur, ac talia ſe præ cæteris noſſe jactitant. Societas ergo illorum Chriſtianorum, qui in meditatione vivunt, putatur in primo actu orationis mentalis vivere. Licet autem identidem circa hoc meditationis dogma margaritas, ſub ſterquilinio latitantes, nobis porrigant Enthuſiaſtarum filii; tamen cum formæ ſanorum verborum parum tenaces ſint, lector minus exercitatus, ceu innui ſuperius, cum gallo Æſopico facile pro unione fimetum, pro piſtrini Domino murem arripit. Horſum retulero, quod tentationibus Satanæ, mundi & carnis noſtræ medeatur inactio & paſſivitas mera animæ, ſi audias iſtos morum Cenſores: ſin Chriſtum & Apoſtolos ſequi malis (malle vero debes) fides, jejunia & preces, ceu optima contra hoſce inſultus arma, commendantur. Non quies ſegnis, non remiſſio, non ſuſpenſio ab actu;

ſed

ſed ſobrietas, vigilantia, et fortis in fide reſiſtentia leoni iſti rugienti opponenda. Scuto fidei tela ejusdem ignea extinguenda; & reliqua panoplia Paulina, eademque univerſa, aſſumenda. MELANCHOLIA, balneum Diaboli, aliaque complexionis vitia, ſtudiorum Pſeudomyſticorum eſſe pabula, dies docet. Remedium hic futile & cura palliativa fuerit, ſi quis omnem animi ſolicitudinem atque anxietatem in voluntatem, autoritatem & conſilium Confeſſionarii ſui reſignet, & hujus ejusdem ſuaſui ſeſe magis, quam ipſius Salvatoris noſtri JESU CHRISTI præcepto, mancipet. MERIDIEM adventare credunt Hohburgiani, quando aurora & diluculum præteriere; hoc eſt, quando a via illuminationis ad viam unionis ſeſe pertigiſſe exiſtimant; quam quidem tendentiam & niſum abunde præit notatus Autor, amorem pacis & concordiæ Chriſtianæ ita inculcans, ut amorem veritatis ne digitulo quidem tangat, ſed, tanquam rem ad æternam ſalutem minus neceſſariam, penitus reticeat. METEMPSYCHOSIS Pythagoréa itidem a paradoxo iſthoc ſeculo non emanſit, & obſtetricias Myſticiſmo tulit manus. Dantur nimirum, qui, Cabbaliſtarum veſtigia calcantes, tradant, mortuos, ad auditam vocem Filii hominis e ſepulcris prodituros, in alia corpora migraturos eſſe. Nec deſunt, qui doceant, filios hujus ſeculi, prudentiores filiis lucis, in generatione ſua propter Gilgul ſeu revolutionem geneſeos eorundem in mundum vocari. Reperias, qui velint, *τȣς προγεγραμμένȣς* in epiſtola Judæ ante multa jam ſecula promeruiſſe damnationis judicium in corporibus aliis; imo qui probatum eant, Ammonitarum demum corpora poſt quatuor ſecula in aliis corporibus opplenda, & Ethnicos Judæis liberos ita adducturos eſſe, ut animæ Judaicæ ex parentibus Ethnicis naſcantur. METUM *inferni* omnem omnino abominantur temerarii noſtri Catones; quos tamen, uti jam ſimiliter innuimus, Salvator ipſe, & vas ejus electum Paulus Apoſtolus redarguit. MIXTURA DEI ET ANIMÆ, crudum Gvionis, Myſticæ Gallicanæ, verbum; crudior ejusdem explicatio. Ecqui malum! infinitum cum finito, Deus cum anima miſceatur? Reponit, ita, ut unio eſſentialis inter

utrum-

utrumque conſurgat, & anima dicere queat: Ego ſum DEUS. Creata quippe eſt ex natura, quæ miſceri potuit cum Deo ſuo. Minus, ita mihi optata contingant, verecunde. Objicis, verecundius eam ſenſiſſe, quam ſcripſiſſe, religioſiorem quippe multis, a quibus parum intellecta refutetur. Regero, ſcandalum dogmaticum hoc minio non tolli, ſed tegi; gangrænam, quam taxat Apoſtolus, non curari, ſed palliari. Expoſcit Deus, hoc interprete, non modo ſanum ſenſum; ſed & ſana verba. Innocens & bona poterat dici phraſis: *Reſurrectio jam facta eſt;* ſi de regeneratione, ſive ſpirituali a morte peccati reſurrectione, velles eam interpretari. Repudiat eandem Apoſtolus in Hymenæo & Phileto, rationem interſerens, quod iſti circa veritatem a ſcopo aberrarint, & fidem aliquorum perverterint. Simili omnino gangræna laborat aſſertio de mixtura Dei & animæ; ſimili omnino ἀστοχίᾳ & fidei perverſione. Quanam, inquis? Deificatione hominis Satanica, qua Protoplaſtos decepit antiquus coluber, dicendo: Eritis, ſicut Deus. Quam fallax igitur, quamque noxia Eutychiana fidei perverſio de unione perſonali per μίξιν definienda; tam fallax & noxia eſt hæc doctrina de unione eſſentiali, per mixturam Dei & animæ deſcribenda. Damnavit illam vetus Eccleſia ex Verbo Dei, utut Eutychiani & Monotheletæ itidem mirificam præ ſe ferrent vitæ ſanctimoniam. Ecqui ergo nos tam gravem a veritate divina aberrationem, tamque enormem fidei perverſionem, tam ſcandaloſam & contagioſam aliorum ſeductionem, a Spiritu Sancto profectam arbitremur? Vitandus ex una parte Atheiſmus, Epicureiſmus omnisque vitæ impietas; vitandus ex altera parte nihiloſecius Enthuſiaſmus Pſeudomyſticus eſt. O quantum itaque ſcandalum, propter impeccabilitatem aſcititiam & ſibimet arrogatam, dogma quoddam Anti-biblicum acceptum ferre Spiritui Sancto, quod ortum eſt a Spiritu mendacii? MONAS PLOTINIANA, IDEALIS, per νοῦν, λόγον καὶ πνεῦμα EMANANS. Nulla certe ingenii vis aut Philoſophia ad acumen iſtud unquam aſcendit, ut unitatem infinitam Dei ſatis intelligeret. Quicquid itaque luxuriat humana ratio de effluxu Triados ex uni-

tate, id vanum, &, cum a revelatione divina deviet, aliud Evangelium vocari meretur, quam divinitus annunciatum. Nec in ſchola Platonis, verum in Prophetarum & Apoſtolorum Officina Biblica hoc diſcatur, oportet, ad ſalutem ſcitu neceſſarium, tremendum ac venerabile myſterium. MORS ANIMÆ JAMBLICHIANA audit animæ annihilatæ, ac deificatæ a vinculis corporeis, ſolutio atque ſeparatio. Ecqui vero τὸ Nihil poteſt ſeparari? Veluti non-ens cum ente non poteſt conjungi aut uniri, ſiquidem compoſitio realis id exigit, ut utrumque extremorum realiter exiſtat: ita quoque verum Nihil non poteſt ſeparatim a corpore exiſtere. Similiter in morte ſenſuum, Platonice explicata, οὐδὲν ὑγιὲς, quantumvis venditetur ut θεῶδές. Præſtigiæ nimirum iſtæ ſimplicitatem in Chriſto convellunt, & cothurnos in ſanctimonia Angelica incedentium oſtentant. Talis MORTIFICATIO PLATONICA differt a θανατώσει membrorum Paulina bifariam maxime: quandoquidem hæc mediantibus organis divinitus ordinatis, Verbo & Sacramentis, illa immediato Dei in animam illapſu, peragitur. Hæc ad veram humilitatem deprimit hominem, ut ſeſe miſerum agnoſcat peccatorem; illa ad ſpiritualem ſuperbiam ipſum elevat, ut dicat: Ego ſum Deus, ut vel ultra θρησκείαν Ἀγγέλων cothurnatus quaſi incedat, & talia crepet, quæ neque vidit, nec novit. Quare toto cœlo aberrat a vere Chriſtiana mortificatione amoris ſui ipſius, quandoquidem non amplius vere agnoſcit ſeipſum, ſuamque miſeriam. Aberrat a vera mortificatione amoris rerum terrenarum, & a ſpirituali paupertate ſive indigentia. Aberrat a mortificatione concupiſcentiæ voluptatum & honorum mundanorum, a mortificatione cogitationum laſcivarum, curarum temporalium, a mortificatione complacentiæ in ſemetipſo, & acquieſcentiæ penitioris in eo, quod carni jucundum evadit, a mortificatione omnium dubiorum atque ſcrupulorum, a phantaſia mobilium, dum caro adverſus ſpiritum concupiſcere non ceſſat, ac tandem a mortificatione noſtræ voluntatis atque appetitus, tantum ad malum proni ab adoleſcentia. Chriſtianiſmus certe non otium, non quies fanatica, verum negotium

per-

petuum ac indefeſſum ex regula Verbi divini nuncupandum, quo in conſpectu Patris noſtri cœleſtis, ſub filiali timore & per virtutem ejus, defungimur. Proin abſit a nobis MUTATIO ESSENTIÆ HUMANÆ FELGENHAUERIANA, dahin gehend / daß die Wiedergebohrnen ihr bisheriges natürliches Weſen und ſubſtantz verlieren / und von dem Göttlichen Weſen wiederumb etwas empfangen. Hoc ſenſu particula divinæ auræ Platonica merito exploditur. Alii nominant eine Verwandelung in GOTT / eine gäntzliche Verſenckung in GOttes Weſen / wann ſich nehmlich der Geiſt in GOtt verſencket / ſo / daß er von Liebe gar truncken wird / und würcklich NB. nicht mehr in ſich iſt / ſondern in ſeinem geliebten GOtt. Obvertis cum Dippelio, mutationem tamen in juſtificatione eſſe neceſſariam; at non in Deo: igitur in homine. Regero, in ſtatu hominis utique contingere mutationem, utpote qui, impetrata remiſſione peccatorum, non amplius filius iræ, ſed in gratiam Dei eſt receptus. MYSTERIVM MAGNUM BöHMII, das ewige Nichts / BREKLINGII, Chriſtus in nobis parabiblicus. MYSTERIA opponebantur dogmatibus illis, quæ κηρύγματα audiebant. Hæc omnibus promiſcue, illa adultioribus inculcabantur. MYSTICUM iſt etwas in uns / das höher / als Vernunfft und Verſtand ſey / (Myſtici id vocant apicem & culmen mentis; itemque intellectum puriſſimum, intellectui communi ſupereminenter anteponendum) und geben vor / mit demſelben könne man verſtehen / was man ſonſt gar nicht verſtehen könne / man empfinde damit / und wiſſe doch nicht / was man empfinde / man verſtehe ohne Verſtehen / und was ſie mehr vor paradoxa allhie brauchen. Sicque adeo vocis hujus ſignificatio non modo Grammatica, Rhetorica, Moralis ſive Ethica, ſed & Metaphyſica & Hyperbiblica vocari poteſt, quatenus Theologia Myſtica neſcio quæ myſteria, ſed mere legalia, cothurnato ſermonis genere tradit, perfectionemque jactans, per viam purgationis, illuminationis ac unionis ad illam conſequendam præpoſtere tendit, & ſuperſtitioſe aſpirat.

 N. NA-

N.

NATIVITAS SPIRITUALIS, non ex ſemine Verbi revelati, prædicati, externi; verum interni & imaginarii, quod tam regenitis, quam irregenitis commune, exorta. NATURALISMUS, cujus ratione ſanctitas religionis naturalis quibusdam major videtur, quam Evangelicæ. Unde nonneminis σκληρὸς ὁ λόγος: Sehe hin zu einem frommen Heyden / und ſage ihm deine Empfindung von Chriſto; ſo wird er dir zu verſtehen geben / daß eben dasjenige / was du Chriſtum in dir nenneſt / bey ihme die Krafft / das Liecht / das Leben heißt: Sonſt kenneſt du derer Heiden ihren Chriſtum nicht / weil er mit derer Chriſten ihrem Heiland einer iſt. NEGATIVA DEI CONTEMPLATIO, qua homo per negationes progrediendo devenit ad purum nihil. Accipitur hic non *Scholaſtice* pro via negationis, qua per attributa negativa, ſive Grammatice, ſive Acroamatice talia v. g. unitatem, æternitatem, infinitatem, immenſitatem, inviſibilitatem, &c. ad θεογνωσίαν pertingere dicimur; ſed *Myſtice* pro ejusmodi cognitione Dei, qua mens per ipſammet ignorantiam Deo uniatur, quaque, a rebus omnibus abducta, ſemet ipſam deſerat, atque ita ignote & ſuperintellectualiter ad cognitionem Dei aſſurgat. Hoc negativæ contemplationis arcanum ſi ſpectemus penitius, talis contemplans μυωπάζει, cœcorum inſtar parietem quærit, nihil attingit, nihil contrectat. Fruſtra quærit, nihil invenit. NIHIL ÆTERNUM Böhmiſticum, quo nomine Deus ipſe inſignitur, durioribus hujus viri, aut eorum, qui ſub ejus nomine deliteſcunt, phraſeologiis omni jure accenſetur. Quomodo enim ille, qui eſt ὁ ὢν, & ab æterno fuit ὁ ὢν, antequam montes eſſent, & mundus crearetur, commode vocabitur NIHIL? Qui novas fingit phraſes, novas format hæreſes. Imo Atheis hoc Nihil divinum fuerit ad palatum. NOX MORTIFICATIONIS ab aliquibus ſalutatur via purgativa, quæ librum primum Theologiæ Myſticæ Hohburgianæ occupat. Roſenbachius ad αὐτοχειρίαν usque, & præcipitium in ignem aut aquam, ſibi intentatum, hanc viam ſeſe triviſſe, gloriatur; ſive quicunque eſt Autor Schedarum, ſub ejus

nomi-

nomine editarum. NUDUS ET IMAGINIBUS VACUUS SPIRITUS, quo cuncta ſeſe tranſcendere & excedere Rusbrochius conabatur, atque in ea γυμνότητι ſine medio a Dei Spiritu ſeſe agitari credebat. Convenit cum Egoitate, Jchheit / de qua ſupra. NUPTIÆ non ſunt tales, quales epithalamium Salomonéum decantat; verum tales, ex quibus filii Dei naſcuntur vel ad genium dogmatos Pelagiani, vivendo per proprias liberi arbitrii vires in virtutibus: vel ad genium dogmatos Platonici, moriendo ſupra virtutes omnes in Deo. Sunt nuptiæ ſpuriæ; quandoquidem vivendum fuerat virtutibus, non moriendum. Dedecet Sponſam Chriſti mors Enthuſiaſtica, ex laciniis Academicorum Athenienſium ſuperſtes.

O.

OBEDIENTIA COECA, craſſioris Myſticiſmi refugium, idque papizans. Mirum, cum Eccleſia Romano-Catholica propriorum filiorum, eorumque Molinoſianorum, manibus proprium quoque jugulum configat, ſuaque ipſius vineta cædat, quod Molinoſus tamen, hoc ſcitum interpolans, eatenus ad cor matris reſiliat, imo plus, quam illa, poſtulet a ſuis, indulgeatque Curiæ Romanæ, ſtatuens, magis obediendum eſſe Confeſſionario, quam ipſi Chriſto. Dixi, proprium jugulum manu filiorum configere Eccleſiam Romano-Catholicam. Dictis fidem faciam; idque κατ' ἄνθρωπον adverſariis Pontificiis obvertam. Tantum abeſt, ut Rigidiſtæ & Janſeniſtæ Laicos a lectione Bibliorum arceant, ut hanc, (utinam ad genuinum ac divinitus mandatum ſubinde uſum!) diligentius urgeant. Liberum arbitrium homini irregenito in ſpiritualibus tantum abeſt, ut aſſignent, ut, eundem pure paſſive hic ſeſe habere, concedant. Docent contra Decretum Tridentinæ Synodi, concupiſcentiam originalem eſſe vere peccatum, peccataque Philoſophica & Indifferentiſmum moralem ſubinde rejiciunt. Quod juſtificationem & ſalvationem Bona noſtra opera mereantur, plerumque inficiantur Myſtici. Opus operatum & ceremonias externas, in latifundio Eccleſiæ Romano-Papiſticæ tanti æſtimatas, coram DEO nihil valere, iidem pertendunt, zelum pro interno homine (utinam ſemper Biblicum, nunquam hyperbiblicum aut

 ἄζηλον

ἄζηλον) foventes. Confeſſionem auricularem omnium & ſingulorum peccatorum improbant: Vota monaſtica parum applauſus ab iis deportant: Cultum imaginum tantopere taxant, ut quidam ipſorum Propheta ſcribat, Chriſtianum vere devotum abſtrahere animum oportere ab omnibus imaginibus, tanquam rebus, quæ ſint extra DEUM. Quod itaque de obedientia cœca, Patri ſpirituali & Directori animæ præ ipſo Salvatore præſtanda, Molinoſus ipſemet ſuis ſuadet, de illo uſurpamus effatum, quod ex ore veritatis profluxit: Si cœcus ducit cœcum, ambo in ſpeluncam irruent. ORATIO MENTALIS PASSIVA eſt medium, ad perfectiſſimum una cum purgatione directum. Velut enim purgatio ſeu mortificatio eſt præparatio ad devotionem: ita oratio eſt devotio ipſa. Tenendum autem, quod Myſtici in precum initio & progreſſu admittant quidem operationes & actiones hominis, quas meditationis ſeu orationis activæ nomine inſigniunt; at in ſtatu perfectiſſimi easdem negent, ita, ut quo majus augmentum regenerationis Myſticus perfectus habeat, eo minus operetur, usque dum plane in Nihilum ſuum Deificatorium & uniforme fuerit converſus redactusque, ſolo Deo in cubiculo ſuo hic habitante, agente, operante omnia. Spiritualiſſimam hanc devotionem & eſſentialem (accidentali contradiſtinctam, ubi nempe guſtus ac perceptio ſuavitatis divinæ accedat) vocant, quæ ſit inſenſibilis promptitudo animi, qua devotus ſe ſubjiciat voluntati divinæ, etiamſi opere ipſe nihil præſtet, ſed expectet operationem Dei; quantumvis nullus adſit guſtus, nulla dulcedo aut ſuavitas; adſit autem ſubinde ariditas cordis & caligo. Falſo. Vera enim devotio ſeſe exerit per actus fidei, ſpei & charitatis. Ultra hos perfectiſſimum orationis querere, & in caligine ſeu tenebris mentis felicitatem ancupari periculoſum eſt, tenditque in ruinam omnis devotionis ac pietatis longe præſentiſſimam. OSCULUM. Sicut Bernhardina diviſio oſculi ſacri laudem meretur, qua oſculum tergeminum, pedis, manus, & oris Domini, edocet, ita, ut oſculum pedis attineat ad incipientes in fide & amore, oſculum manus ad proficientes, oſculum vero oris ad adultos; Ita Pſeudomyſticum jure dicimus

cimus

cimus oſculum iſtud, quod nonnulli docent, quo anima, ad eſſentialem cum Deo unionem perveniens, Chriſti vel Humanitatem, vel Divinitatem non reſpiciat, nec reſpicere debeat, eo, quod illa ſaltem ſit incipientium, qui in primo gradu illuminationis verſentur, non, qui in ſtatu ſint perfecto, utpote qui cum ſolo Deo eſſentialiter uniantur, objectum. Per OSTIUM MENTIS, non intelligere videntur Separatiſtæ noſtri Carteſianam Dei notitiam, quæ in nobis produci exiſtimatur per modum ideæ, nobisque connaſci, quemadmodum cuivis homini connaſcitur idea ſui ipſius, ut adeo ſic homo inferat a poſteriori: Quam certo novi, me exiſtere; tam certo etiam novi, Deum exiſtere. Neque etiam negaverint omnes diſcrimen inter notitiam inſitam & acquiſitam. Hæc quippe non tantum fit ex interiori immediatoque principio ac fundamento; ſed etiam ex adventitia quadam ſpecie intelligibili, objecto in ſenſus incurrente, ac diſcurſu interveniente; Illa immediate luce ſua radiat, & veritates cognoſcendas præbet, non interveniente ſpecie quadam intelligibili & diſcurſuum. Etenim ſi omnem omnino notitiam ex ſenſibus proficiſci oporteret, tum plane nulla de Deo & ſpiritibus haberi poſſet notitia naturalis; quia ſpiritus non cadit in ſenſus: neque etiam ante omnem ſenſualem cognitionem darentur in mente noſtra cogitationes, ſeſe accuſantes aut excuſantes. Verum tale mentis oſtium ſibi perſuaſit Comtemplator Myſticus, quo oculum ſuum intellectualem ab infimis imaginibus corporalibus usque ad ſupremas imagines divinales denudare feſtinat, ipſasque relinquit ideas Divinitatis, Unitatis, Trinitatis, Bonitatis, Sapientiæ ac ſimiles, haud obſcure ſentiens, quod hæc omnia, quantumcunque præſto videantur, Deum tamen in ſua eſſentia perfecte, adæquate & intime non repræſentent, ſed ſolummodo juxta imperfectum modum & figuram humanæ comprehenſibilitatis & intelligentiæ. Quapropter per Elevationem mentis oſtium ipſi panditur in caliginosam illum & informem nihilitatem penetrandi, ubi in quadam Dei perfecta ignorantia conſtituatur. Aliter ſane Scriptura; quæ januam cordis aperienti introitum Chriſti, qui eſt vita & lux,

lux, promittit, inhabitantem ac cœnantem. Omnino Deus eſt lux; & tenebræ non ſunt in eo.

P.

PANHÆRETICA RELIGIO, quæ tamen ſine hæreſi aut ſecta excoli queat. Hohburgianismus hic nihil, niſi amorem Dei & proximi poſtulat, atque ita veritatis divinæ amorem poſthabet, ut putet, omnes religiones in unam facile coalituras, dommodo charitas, charitas, charitas ſit præſto. Tergemina videlicet hac voce utitur Anteſignanus Mennoniſta. Oritur inde mira hypotheſium alternatio, dum garriunt: Quicquid omnes religiones dicunt, id verum eſt; &, Quicquid nulla religio dicit, id verum eſt. Illam parturit Syncretiſmus, hanc Neutralismus. Itemque iſtud φορτικὸν ἄκουσμα: Omnes religiones, quæ Chriſtianæ dicuntur, ſunt paris monetæ; neque enim ipſarum relatio magis aut minus recipit. Hinc emanant cætera apoſpaſmatia eclectica: quamvis religionem continere aliquid veri; quamvis habere etiam aliquid falſi; quemvis hominem in quavis ſalvari poſſe; neminem in ulla ullatenus damnari debere; errores, ſi qui errentur, naturaliter & moraliter eſſe inſuperabiles; uni certæ religioni, quam ſolam exiſtimes veram, temet addicere, ſectarium & αὐθαίρετον quid eſſe. Quæ omnia cum evidentia canonis Biblici conciliari nequeunt, & panſpermiam religionum, æternæ ſaluti exitioſam, in Chriſtianiſmum introducunt. Uti enim unus eſt Deus: Ita & una fides, una ſalutis via. Extra hanc qui ſalvari vult, & vel dextrorſum, vel ſiniſtrorſum vergit, is ordinarie perit. Admetior ergo vocem PANSPERMIÆ, qua mire ſibi placent aliqui, philtris iſtiusmodi impotentius ineſcati. Siquidem in articulo creationis non ponitur pro fundamento Omnipotentia divina, per quam creaturæ exiſtere cœperint (id quod ſecundum analogiam Scripturæ oportuerat factum) ſed Deus ipſe conſtituitur, tanquam Chaos & Panſpermia, ex qua omnes creaturæ enaſcantur, quæque earundem cauſa ſit interna, indem ſich der ewige Wille in der Außgebährung des Worts in ſieben Geſtalten der Natur durch ſieben Qvell-Geiſter eingeführet. Proinde

de PARTEM DEI vocant hominem Theoſophi, quique adeo ex ſuæ eſſentiæ penetralibus ſuam ſibi ſalutem accerſere & procurare poſſit. Abyſſus hæc Deiſmi fanatici meretur notari: Nimirum opus ſalvationis æternæ ita coarctatur, totumque ſitum putatur in grano quodam inſito, quod fidei extrinſecus aſcitæ opponitur. Scintillula hæc, animabus omnibus implantata, Medicina morborum noſtrorum, ex proprio cujusque ſinu depromenda, ſuppeditatur: quandoquidem Adamus fuerit θεάνθρωπος, & Deus per contraria in nobis agat in opere converſionis; humana autem voluntas in hoc principiorum, divini & humani, contentione ferat deciſum. PASSIVÆ ORATIONIS, non ſenſu orthodoxo, verum Pſeudomyſtico, accepta notio, jamdum uberius declarata, inſinuat ſtatum ſuſpenſionis ac ligaturæ potentiarum & facultatum intellectualium, quo v. g. omnia ne quidem per concurſum ſupernaturalem producit, verum ſaltem in ſinu ſeu gremio ſuo produci admittit actus diſcurſivos & appetitivos, idque ſine omni ſenſuum operatione, ita, ut ne quidem æternam a Deo ſalutem petat. PERFECTISMUS DEIFICATORIUS. Coincidit quodammodo cum Abſolutiſmo, ſuperius ſub vocabulo Beatitudinis expoſito, & eſt finis Theoſophiæ Myſticæ. Diſcipulus ejusdem ſcilicet ad tam ſublime faſtigium evehi poſſe creditur, ut voluntas ejus in ſummo gradu deificetur, & ipſisſima voluntas Dei evadat; quique adeo hunc perfectiſmi ſtatum attigerit, eum impeccabilem reddi, & amplius proficere non valere, ſtatuitur; qui error fuerat Beguardorum; imo eundem plane non debere curare peccata externa, quæ Satan in carne ſua exerceat, neque cogitationes impuras, quas in ſemet perſentiſcat; omnia enim hæc eſſe adminicula Perfectionis. En tibi ergo Pſeudomyſticiſmum, cum Atheiſmo conjunctum! PERRUPTIO, der Durchbruch / in quo termino magnas ſibi delitias faciunt ſcholarum iſtarum amaſii. Seductionem videlicet ab orthodoxia ad heterodoxiam, & motum animi, quo illa ſit facta, hoc condecorant nomine, opus Satanæ manifeſte Deo tribuentes, & hunc errorum ſuorum craſſiſſimorum atque graviſſimorum cauſam conſtituentes. Ab eo inde usque momento

viſionibus etiam & apparitionibus Dei immediatis ſeſe recreatos, multi jactitant, & convictionem perſuaſionemque animi ſui tanto confirmatiorem evaſiſſe autumant. PHILAVTIA OMNIS SINE DISCRIMINE IMPROBATA, utut cum ſalutis ac beatitudinis propriæ deſiderio connexa fuerit. Ita ergo propriam carnem etiam contra inſtitutionem conjugii & ſanctionem paradiſiacam decebit odiſſe; & amor proximi non a ſeipſo, verum amor ſui ipſius ab amore proximi incipiet. Imo ſic proximum non diligemus, ſicut nosmet ipſos; verum amare ita jubebimur nosmet ipſos, uti amamus proximum. Quidnam, obſecro, hoc eſt, niſi inverſus qua tabulam ſecundam Decalogus? PRINCIPIA DUO voluntatis æternæ Dei, deren erſtes ſeyn ſoll ein finſteres ängſtliches Feur-Leben (horrendum, Deo μακαρίῳ talem vitam attribui) das andere / das majeſtätiſche Licht-Leben: In dem erſten principio ſey der Grund zum Höllenreich / darein Lucifer im Abfall verſtoſſen worden; in dem andern aber ſey das himmliſche Freuden-Reich der ewigen Glory offenbahr / darein das ewige Wort / als das Licht vom Licht aus GOtt gebohren; Eins in drey Perſonen herrſchet / da der Vater mit dem H. Geiſt im Sohne lebet in dem Licht der Glorie und Majeſtät. O nugatoriam & bonos mores corrumpentem Perſonarum adorandæ & auguſtiſſimæ Triados confuſionem! PRIVATIO RIGOROSA, Quartus gradus ſanctitatis ſecundum Gelenium, da die Seele gantz Troſt-loß würde / und in ſolche Anfechtung falle / welche niemand beſchreiben könne / als der ſie empfunden. Dieſen Stand nennet Rysbroch converſationem divini Spiritus & noſtri, Taulerus preſſuram internam; andere vergleichen ſie einem Fegfeuer auf Erden. Quæ cum mortificatione convenire videntur. PROPHETIAS ex male applicato Joelis vaticinio Irregulares noſtri ſibimet arrogarunt, verum eo cum eventu, ut vel Euphratem Oderæ miſcuerint, & ex Prophetis evaſerint Poetæ, nihil non ſibi licere putantes. Non abs re B. Tenzelius Monatl. Unterred. 1689. Decembr. p. 1175. Es iſt ſo eine Sache umb das Studium Myſticum. Wer darinnen zuweit gehen / und gar

von

von zukünfftigen Dingen weiſſagen will / der wird bey klugen und verſtändigen Leuten wenig applauſum bekommen. Doch wir leben in einem ſolchen ſeculo, da nicht allein die Gottloſigkeit auf das höchſte kommen / ſondern auch andere in praxi des geiſtlichen Lebens excediren / oder in der Theologie gar zu myſtiſch und fanatiſch werden. Gleichwie aber beyde extrema zu vermeiden / indem jenes auf eine offenbahre Atheiſterey / dieſes aber auf eine ſelbſt⸗erwehlte / und daher GOtt nicht gefällige / Schein⸗Heiligkeit hinaus laufft: Alſo muß man ſich / ſo viel möglich / in acht nehmen / daß man auf der güldenen Mittelſtraſſe einhergehe. PROPRIETAS SUI IPSIUS. Vid. EGOITAS. PUNCTUM SALIENS. Conf. jamjam dicta de Parte Dei. Ab aliis punctum ſpiritus vocatur. PURÆ FIDEI ORATIO QVIETISTARUM eſt ſtatus ille orantium paſſivus, & ὑπὲρ ὃ γέγραπται confictus, de quo itidem egi ſub tit. *Oratio mentalis paſſiva.* PURGATORIUM Roſenbachius vocat probatorium cujusvis per ignem, dementatus ab illis, qui probationem illam Paulinam cum purgatione Platonica confuderant. Similiter Böhmius, qui peccatum a malo Deo, Manichæorum inſtar, derivat, ſtatuit purgatorium, a Pontificio licet diverſum; nec tamen tertium videtur locum credere, nec animam ſeparatam illuc ablegare, quandoquidem cœlum & infernum jam ſecum quisque portet, quæ non differant, qua πȣ̃, ſed per univerſum mundum ubique conjuncta reperiantur. Et, qui præterea ſub ipſius nomine vendibiles ſunt, pagi Bohemici.

Q.

QVIETIS, ſeu mavis cum aliis rem exprimere, QVIETUDINIS STATUS, eſt res illa inanis & caſſa, quam tanto cum fervore defendentes, immanibus profecto ſeſe dant offeruntque erroribus. Etſi enim, uti nonnemo Noſtratium, cujus anima nunc in ſinu Abrahæ quieſcit, locutus eſt, inculpabiles Quietiſtæ evadere poſſumus; non tamen fanatico ſpiritu acti, ſed per Spiritus Sancti teſtimonium internum, per media ſalutis latum, de pace & quiete noſtra cum Deo certiores facti, & in cellaria Sponſi introducti, ea felicitate donamur.

namur : Etſi inſuper pollicem premimus & omni cum aſſeveratione applauſum impertimur orationi mentali, quæ eſt cordis colloquium cum Scrutatore cordis Deo, quæ diſcurſiva in intellectu, affectiva in voluntate, imo ſubinde jaculatoria, motu cordis vehementi, celeri ac ſubitaneo peracta, ſalutatur: Multi quippe dantur ad hæc adyta precatoria reditus, dantur varii regreſſus animæ precantis ad ſeipſam, revertentis ad quietem ſuam; & calidæ ſuſpiriorum redintegrationes contingunt, dum Deus per realia ſolatia ſanctas cogitationes, a Verbi prædicati recordatione pendentes, & per illud ab agitatore Spiritu divino excitatas, animatas, conſervatas, inſtillat, opus ſuæ gratiæ inhabitantis peragit, interrogantibus per Pſalterium v.g. Davidicum tacite quaſi in ſacrario reſpondet: Tamen hoc incorruptibile Semen a paleis heterodoxiæ Myſticæ caute ſecernatur, oportet. Oſtendimus in anterioribus lineis, quietem animæ & pacem interiorem, a Molinoſo confictam, vocari poſſe ens rationis, quod tantum eſt objective in intellectu. Cumque adeo iſtud otium mentis ipſi etiam pœnitentiæ officiat, & hominem motibus contritionis ac fidei ſuperiorem fieri poſſe ſupponat, idcirco a malo potius, quam bono ſpiritu proveniſſe iſtud, opinor. Non craſſum modo, ſed & ſubtile venenum nocet. Quamvis ergo nimium quantum acuta ſint εὑρήματα Molinoſiana; tamen placere Deo nequeunt, vel eo ſolo nomine, quod pro motibus pœnitentiæ Biblicis hyperbiblicam animæ ςάσιν, tanquam ad ſalutem neceſſariam, inculcent. Joh. Palatius in *Geſtis Pontificum Romanorum* Antonii Mariæ de Leonibus confeſſionem de Quietiſmo Molinoſiano hanc adducit: *Per orationem Quietis anima unitur Deo, & fit Deus. Dantur quatuor Leges, Naturalis, Moſaica, Evangelica, Quietis, quæ ad ſimilitudinem virgæ Moſaicæ devorat leges priores, eritque DEUS Deorum, ac poſt præſentem Pontificem reformabit mundum univerſum, ut fiat unum ovile & unus Paſtor.* Licet igitur *Autor Collectaneorum de Quietiſmo & Quietiſtis* exiſtimet, Molinoſum Theologiam perinde emendare ſtuduiſſe, ac Carteſium Philoſophiam, utpote cujus contemplatio ad ſenſum Johannis de Cruce, Harphii &

Ma-

Malavallii nihil aliud, quam ſtatum mentis, Deum ſemper ante oculos habentis, neque agere aliud volentis, quam quod Deo placeat, aliaque reconditæ & veræ pietatis ſtudia ſequentis & præſtantis, denotet; Tamen aliud nobis judicium ſubminiſtrant Propoſitiones fer. V. die 28. Auguſti 1687. Romæ condemnatæ, & ab ipſomet poſtea revocatæ ac reprobatæ, quarum ſumma huc redit: *Anima, via interna inceſſura, nihil ſperando annihilare ſe debet, fierique inſtar corporis mortui, adeoque nec cogitare de ulla re, ſive Deo, ſive ſalute æterna, ſive peccatis, horumque pœnis, nec velle, nec agere, nec ſentire quicquam. DEUS enim ſolus in nobis absque nobis agere vult. Huic relinquenda eſt omnis cogitatio de nobis. Ab hoc nihil petendum, quia petere eſt velle, ut Deus non ſuam, ſed noſtram voluntatem exequatur. Quamvis ore preces recitentur; non tamen opus eſt, ut eæ ab anima ſuis meditationibus aut ratiocinationibus adjuventur. Nec fides requiritur, niſi obſcura & generalis, non autem diſtinctam attributorum DEI & TRINITATIS notitiam complexa. Non excitanda devotio noſtra; quin ſemper permanendum eſt animæ in quiete imperturbabili, ac reſignatione paſſiva, &, ſi forte ante aut poſt ſacram communionem motus quidam humiliationis, petitionis, gratiarum actionis ſentiri occipiant, ſtatim ſedandi ſunt. Fauſtum eſt ſignum, ſi anima faſtidierit diſcurſus de Deo & virtutibus, ac ne orationem quidem Dominicam recitare potuerit. Viæ internæ nihil negotii intercedit cum confeſſione aut Confeſſionariis, cum caſibus conſcientiæ, cum Theologia & cum Philoſophia. Animabus myſtice mortuis Deus impoſſibilem reddit confeſſionem, ipſeque illius defectum ſupplet per gratiam præſervantem, duplo majorem ea, quam percepturæ fuiſſent ex Sacramento. Pervenitur hac via ad mortem myſticam ſenſuum, animaque redit ad principium ſuum, eſſentiam nempe divinam, in qua manet diviniſata. DEUS olim faciebat ſanctos mediantibus tyrannis, hodie mediantibus Diabolis, qui Phyſice adigunt corporis membra ad actus Venereos aut flagitioſos alius generis. Incitet interim Satan; ſentiat natura; cogatur corpus facere, quicquid Satanas voluerit;*

 rit;

rit; nil intereſt, modo anima interna nec conſentiat, nec reſiſtat, niſi reſiſtentia negativa, nec inquietetur iſtis, quæ natura aut corpus facere coguntur; ſed reſignata maneat. Ecce tibi parodiam, ut ita loquar: Qui vult vitare atheiſmum, vitet etiam Quietiſmum, ex Myſticiſmo oriundum, & illius quaſi propaginem! Pollicem itaque premere eatenus poſſimus *Autori Chriſtianiſmi Illuſtrati, Amſtelodami 1708* in lucem emiſſi, quantumvis Hyperaſpiſtæ Myſticorum, quando ſcribit, *Myſticam Numinis perceptionem nec ad ſalutem neceſſariam eſſe, nec ad perfectionem hominis Chriſtiani requiri. Ex Myſtica experientia*, idem cenſet, *non poſſe certum aut indubitatum ſanctitatis atque electionis documentum capi; nec Myſticam illam perceptionem inter media ſanctitatem conſequendi in Evangelio eſſe præſcriptam.* Quod vero addit, *eandem pro extraordinario quodam divini favoris documento recte haberi, licet nec revelata ſit, nec promiſſa*; id ſpongiam criticam e prænotione noſtra ſuperiore iſagogica meretur. Pomposa tandem ſubdit verba, τὸ ἐν ἀρχῇ quam maxime petentia, *nullum Doctorem Scholaſticum idoneum eſſe ad ſacros receſſus Myſticæ perceptionis explicandos, imo ne quidem intelligendos: Myſticas operationes rectius ſenſatione percipi, quam intellectu comprehendi; easque melius cognoſci ab eo, qui has expertus ſit, quam ab eo, qui multos libros Myſticos compoſuerit: imo etiamſi illi ſcribant, qui has operationes Numinis experti ſint, eos tamen omni ſua induſtria efficere non poſſe, ut lectores eiusmodi quid in ſe ſentiant, ac illi ſenſerunt.* Similiter Meſſaliani ſeu Euchetæ ſuas intra penetralia ſoli preces fanaticas ſibimet intelligebant, nemini prorſus extra ſcholam ſuam perſpectas atque exploratas.

R.

RAPTVS ſeu ecſtaſis, Jacobo Böhmio bis obtigiſſe viſa, ab aliis vero pluries actitata, & Myſticorum conventiculis fere cum Pöetarum choragio communis, miſeriarum non extrema eſt, in quam per Satanæ technas Myſtici ſubinde proruunt, tanquam certum id credentes, quod viſiones ſuæ a Deo ſint, cum tamen etiam ab Angelo tene-

bra-

brarum eſſe queant. Quot, quæſo, plani & impoſtores hæc taſſa crepuerunt? Ejusmodi ſordes & quiſquilias famoſus quoque noſter Roſenbachius divendebat, gloriatus, ſeſe in raptu vidiſſe Deum Patrem, tanquam grandævum, capillamentis albis & venerabili facie conſpicuum, ſenem; quo conſpecto, extra ſe poſitus & in Deum retractus fuerit. Sed & Principi cuidam a nonnemine perſuaſum erat, triduo ante mortem ipſi omnia & ſingula, quæ per totum vitæ curriculum ab ineunte ætate admiſiſſet, etiam minima, peccata in apparitione quadam monſtratum iri. Quod cum ita ſibi revera in ecſtatico raptu obtigiſſe crederet Princeps, & confiteretur perſuadenti Confeſſionario, ab eodem memoratur ob iſtam confeſſionem auricularem fuiſſe abſolutus, & ad obitum præparatus. Ita vero in Myſticiſmo ipſe etiam Papiſmus recrudeſcit. RECOLLECTIO extorris e cathedra & ſchola Lutheri quacunque, prout in ſenſu Fratrum iſtorum ſpiritualium adhibetur, eſſe debebat. Connotat enim illuminationem internam, ſine efficaci operatione Verbi extrinſecus ſcripti atque prædicati conceptam. Auroram alii vocitant. Molinoſus recollectionem iſthanc appellat orationem quietis, meditationi contradiſtinctam; nec verbalem tamen intelligit, ſed mentalem, ſeu mavis, non precum vocalium formulas & recitationem, ſed actum mentis, de Deo cogitantis, & ab eodem aliquid deſiderantis, aut eum contemplantis. Et huc referunt ejusdem ſequaces ſtatum animæ ſolutæ, aut extricatæ per viam interiorem, ad acquirendam contemplationis perfectionem, divitemque internæ pacis theſaurum obtinendum. Hæc ipſa recollectio ſeu contemplatio tum præſto eſſe putatur, cum anima veritatem, ſive per habitum ex diſcurſu acquiſitum, ſive per divinum lumen jam antea in meditatione cognovit, oculosque fixos in ea tenet, illamque jam ſincere in quiete & ſilentio intuetur, ita, ut amplius ei opus non ſit conſideratione, diſcurſu aut alia probatione, qua voluntatem ad amorem convincat, ſed veritatem admiratur, & in ea pendet. Hoc myſterium a nemine damnari opinantur, niſi ab eo, qui iſtud aut non intelligat, aut non ſit expertus. Quod jactitant & prætendunt etiam

alii

alii, myſteria domeſtica cæteris obtrudentes & eodem præjudicio inani, ceu gladio ancipiti, commenta ſua defendere allaborantes, ſi præſertim cum Moſe in apicem montis ſeſe aſcendiſſe, atque in caliginem, in qua eſt Deus, penetraſſe opinentur. Ambitio mater hæreſium ex verbo veterum hic quoque extare agnoſcitur. Credunt enim animæ, interna iſta recollectione inflatæ, ſeſe eſſe recollectas intra ſe, cum, Scriptura docente, anima Deum cognoſcens, ac eidem ſe uniens, non recolligatur intra ſe, verum potius in Deum tendat per fidem, prout in Verbo manifeſtatus eſt. Quod Verbum ſpeciem & imaginem Dei præſentat 1 Cor. XIII, 12. Cum igitur omnis, qua nunc præditi ſumus, cognitio Dei revelata ſit ſpecularis & ænigmatica, idcirco nulla poteſt eſſe recollectiva intra ſe, aut citra medium Verbi externum ſine ſpecie, ſine imagine impetrabilis. Nec ſine ulla deſtructione perfectionum divinarum exerceri poteſt cognitio Dei, ſiquidem v. g. fides nititur veritate divina, adeo, ut ſine illa ne quidem fides detur. Eadem nutritur a bonitate, omnipotentia & miſericordia Dei. Tantum inſuper abeſt, ut unio cum Deo amoroſa faſtidiat amplexum divinarum perfectionum, ut potius hæ ſint motiva & incentiva amoris divini. Quid multa? Recollectio talis interior, quali præſente, nullus ſenſus, nulla potentia animæ, adeoque nec intellectus operetur, pro hoc, in quo degimus, ſtatus non eſt poſſibilis. Neque enim hanc quietem & hoc ſenſuum ſilentium ullus unquam homo ſanus & vigilans per dimidium diem, imo nec per horam a ſe ſuaque anima impetrare potuit. Suadentne ergo Molinoſiani, non curandas eſſe operationes ſenſuum noſtrorum, nec cogitationes, etſi ſpuriæ ſint; neque etiam contra eas militandum? Sunt ſomnia & nugæ. Quale enim, dic mihi, ſilentium in anima, qualisve quies, ſi actus quinque ſenſuum, ſi imagines phantaſiæ, ſi cogitationes eam exagitent? REDITUS PRECUM ab aliis vocatur intuitus fixi, hoc eſt, elevatio mentis, a ſemetipſa ad Deum reducis, in Deum ſuſpenſæ, & tamen ſemetipſam haud ſuſpendentis, eo, quod in actu contemplationis homo nihil agere debeat, ſed ſolum agentem

Deum

Deum pati. Præſumptio certe tanta de figendo & refigendo in Deo noſtro intuitu non poteſt non eſſe variis illuſionibus ſubjecta. Vanitatis ergo accuſanda veniunt excelſa vocabula denudationis voluntariæ actuum noſtrorum, divulſionis, expropriationis, exſpoliationis, evacuationis. Velut igitur Martha mundana, ita & Martha Pſeudo-Myſtica plus negotii, quam par eſt, ſibi accumulat; Maria vero, Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis immorans immoriensque, optimam elegit partem. REFLUXUS DEISTICO-PLATONICUS apocataſtaſis ſeu reſtitutio audit; cujus reſpectu Humanitas Chriſti non ea, quæ ex utero Virginis aſſumpta eſt, verum Anti-Adamitica, tametſi homo nunquam lapſus foret, jamdum cum divinitate unita, omnes creaturas penetret, & per quam omnia veniant renovanda, ita, ut abſconditum quoddam bonum centrale & character incorruptibilis divini Spiritus in Diabolo etiam reperiatur, qui poſt infinita pene ſeculorum ſecula, ceu Phœnix e cineribus Alchymiſticis, ex ipſomet ad æternæ beatitatis occupationem & poſſeſſionem reviviſcat. Ita quippe ſibi volunt Cabbaliſtæ, dicentes, GOtt habe ſich gantz in die Creaturen ausgegoſſen/ und müſte alles in ihm wieder zuſammen-flieſſen/ item, er habe nur einen Theil ſeines Weſens in die erſchaffenen Dinge/ als leere Gefäſſe/ flieſſen laſſen/ und darum müſten ſie wieder in ihn zurücke-kehren. Apocataſtaſis certe non omnium creaturarum, ſed oraculorum Propheticorum, ὧν ἐλάλησε Θεὸς, Act. III, 21. inſinuatur. Ultimus hoſtis 1. Cor. XV, 22.-28. non æterna, verum temporalis mors eſt; neque enim Chriſtus ab æterna, ſed temporali morte reſurrexit. Anacephalæoſis Eph. I, 10. eſt complementum ſummarium promisſionum & annunciationum V. T. in N. T. factum. REGENERATIO WEIGELIO-BöHMIANA conſiſtit in ſubſtantiali converſione humanitatis in Deitatem. Signatura omnibus innata ab obſcuro iſto Myſterio-didaſcalo ſic exprimitur: Der Wille machet mit dem in ſich Suchen das Centrum der Natur; denn es iſt gleich einem Gifft im Wellen der erſchrecklichen Erhebung/ gleich einem Blitz und Donnerſchlag. Denn dieſe Begierde begehret nur

Angſt und ſchrecklich zu ſeyn/ ſich in ſich zu finden/ aus dem Nichts in etwas; und die andere Geſtalt gehet als ein Schrack oder erbohrner Hall aus ſich: Denn es iſt nicht des erſten Willens Begierde im ſchrecklichen Tod zu bleiben/ ſondern ſich nur alſo aus dem Nichts auszuführen. Und verſtehen wir mit dem Centro in ſich/ mit der erhebenden Grimmigkeit/ mit dem grimmigen Willen zur Natur die finſtere Welt/ und mit dem Außgang aus ſich zur Offenbahrung die euſſere Welt/ und mit dem andern Willen aus dem erſten/ der wieder in die Freyheit eingehet/ die liechte Welt/ oder Freuden-Reich/ oder die wahre Gottheit. Si non vis intelligi, o Domine Böhmiſta, quicunque tandem ſub nominis hujus larva deliteſcis, debes negligi. RESIGNATIO Franciſci de Sales paucis ita expeditur: Si ſcirem, quod damnatio mea magis placeret Deo, quam mea ſalvatio, ego renunciarem meæ ſalvationi, & abirem ad damnationem æternam. Cui horrendæ reſignationi & indifferentiæ Nonnemo hanc reponit apocriſin; Indignus eſt, qui fruatur Deo, cui indifferens eſt, utrum in cœlo apud DEUM, an in inferno apud Diabolum habitet. Neque enim idcirco paſſus & mortuus eſt Chriſtus, ut indifferens eſſet nobis vel æternum mori, vel æternum vivere; ſed ut nobis mortem deſtrueret, ac vitam impetraret. Enimvero in vulgus innotuit Taulerianum apophthegma, idque ſatis argutum. Quid faceres (objiciebatur huic Myſticorum Patriarchæ) ſi Deus te vellet in gehennam detrudere? Dixit is, habere ſe duo brachia, alterum fidei, alterum amoris; utroque ſe Deum amplexaturum, & tam firmiter eundem prenſaturum, tamque arcte retenturum eſſe, ut ille ſecum non poſſet non ipſemet in gehennam deſcendere; atque hoc quidem pacto nihil mali vel in inferno ſibi obtingere poſſe, quandoquidem malit in inferno eſſe cum Deo, quam in cœlo ſine Deo. Hæc Taulerus: quæ, ſi exactius ad gnomonem Verbi divini applices, calculum haud merebuntur. Etenim hyperbolicum iſtud apophthegma exhibet א) *conditionatum antecedens*: Si DEus te aut me vellet in gehennam detrudere. Conditionalis autem nihil ponit in eſſe. Perinde nimirum foret,

ac ſi dicerem: Si Deus eſſet mendax, ſi injuſtus, ſi immiſericors. Talia enim ſi categorice efferrentur, tum dato uno abſurdo, ſequerentur plura. Eſt nempe cogitatu impium, auditu horrendum, dictu blaſphemum, quod Deus peccatorem vere pœnitentem velit in gehennam detrudere, qui tamen ipſa veritas, juſtitia & miſericordia eſt. Ita quippe voluntate antecedente non poſſet non velle mortem & interitum peccatoris, ex quo poſtea nulla redemptio. Exhibet ב) *abſurdum conſequens.* Quandoquidem in inferno nemo cum Deo ita eſſe poteſt, ut ipſum brachiis fidei&charitatis amplexetur; ſed ille, qui ſemel abivit maledictus a Deo in ignem æternum, experitur Væ illud Hoſeanum, cum Deus ab ipſo receſſerit. Abſurdum inſuper eſt, aliquem in cœlo ſine Deo eſſe poſſe, quippe ubi Deus eſt omnia in ominbus, & præſentia ſua glorioſa ab electis ac cœlitibus nequaquam abeſſe poteſt. Ita ergo remoto conſequente, removetur etiam antecedens Taulerianum: Ita impoſſibilis, quam ille finxerat, conditio habet vim negandi: Ita poſſibile non eſt, vel in inferno eſſe cum Deo clemente & miſericorde, vel in cœlo eſſe ſine Deo clemente & miſericorde. Quid multa? Captioſum magis & erroneum (ob dogma Origenis de liberatione damnatorum ex inferno præſuppoſitum) imo temerarium & hyperbolicum, quam pium, religioſum atque verecundum eſt Taulerianum iſthoc apophthegma. Rectius Ille apud nos, qui cecinit: Wiltu mich in den Himmel haben; HErr / das iſt meiner Wünſche Füll. Soll ich dann zu der Höllen traben? Ich weiß / HErr; das iſt nicht dein Will. Daß dein Will nicht ſo wollen ſolt / hat deines Sohnes Tod gewolt. Vid. ſupra in *Abandon* & *Derelictione ſui ipſius.* REVELATIO J. C. IN ANIMA, quam Bourrignonia ſibi pollicita eſt admodum pertinaciter, eo devenit, ut in Lapide Lydio aſſereret, ſe vere teſtari poſſe, quod nihil quicquam eorum omnium, quæ diceret ſcriberetve, ex ſemetipſa depromeret, ſed quod omnia a Deo perceperit: unde qui ipſam audire vellet, Deum ipſum audiret, a quo ea, nequaquam autem a ſe, proficiſcerentur. Similis furfuris temeritas fuit olim in Lautenſaccio, qui, repudians externi Verbi

prædicationem, ſeſe apud Phoſphorum ſuum unicum JEſum Chriſtum velle ſubſiſtere profeſſus eſt; illud minime penſi habens, quod Petrus ortum hujus Phoſphori,in corde noſtro factum, a ſermone Prophetico, eoque firmiore, quam lumen fuerat Taborium, deducat. Eandem ἔλλαμψιν immediatam Johanna quoque Leade, Anglicana iſta Philadelphicæ Societatis Primipila, de ſeſe prædicavit; nec tamen valuit demonſtrare, quod a divino potius, quam maligno & infernali ſpiritu, mille fraudum ac technarum artifice, eadem ſibi miniſtraretur.

S.

SABBATISMUM vendicant nonnulli Mariæ, partis optimæ electrici, qui Martham operoſam jam de B. O. erga proximum, jam de vita activa, contemplationi oppoſita, explicant. Vocant unum neceſſarium, ſi quis,in ſacro ſilentio vel media nocte ad pedes Chriſti conſidens,virtutem Dei immediate operantis perſentiſcat. Talis fuit Sabbatiſmus ecſtaticus Böhmii, talis Hilarii Prachii, in Quakerorum naſſam pertracti, ac de ſocietate Helmontii gloriantis. Sed & Molinoſianus Sabbatiſmus vocari ſpurius meretur, eo, quod ſcribere audeat iſte Primicerius: Quid opus eſt continuo paſci nos myſteriis, miraculis, verbis J.C.? Alimenta quidem illa ſunt animarum, ſed non vita. Hæc ille. Aliam nos quietem docet Præceptor, cujus erudita lingua ſic ait: Verba mea ſunt ſpiritus & vita. Proin nemo introducitur in cellaria Sponſi, niſi per auditum vocis divinæ ad Sabbatiſmum animæ genuinum pertingat. SACRIFICIUM ſui SPIRITUALE. Tereſia hoc appellat ſubjectionem voluntatis noſtræ ſub voluntatem divinam, quæ fiat ſeſe annihilando, & intra eſſentiam divinam introeundo. Tum enim juxta hanc anima ſalutem ſuam in ſolidum Deo immolat, uti antea percepimus, dicendo: Si perſuaſa ſum, quod tu, o DEUS, me velis damnare, fiat voluntas tua. Ubi vero gloriatur anima divitiis ſuis; ibi locum non habet ſacrificium Deo placens, nempe cor contritum & ſpiritus contribulatus. Salniter / oder Leibligkeit GOttes ſoll ſeyn das erſte Ausgehauchte aus dem ewigen Nichts; dieſen Salniter habe Lucifer,

als

als der Regent darinnen / entzündet durch Eigenwillen / und dadurch ſey er wie das Waſſer durch den Froſt hart / und eine Welt daraus worden / in welcher Adam zum Regenten geſetzet worden / durch deſſen Fall ſey der Salniter zum andern mahl entzündet und verderbet worden. SALTUS, gradus aliquis viæ unitivæ eſſe putatur, quo mens ad Deum aſcendens tripudiet; nec non SATURATIO, ebrietas, ſecuritas ſeu abſorptio, ignis, unctio, elevatio, guſtus, jubilus, & quæ his conſonant, a ſenſu Biblico ad hyperbiblicum & fanaticum detorta. SCIENTIA, quaſi Ziehenz / die Ziehung oder Begierde zum Weſen. Ita Tſchechius in dem ſo genannten Lilien-Zweig oder Einleitung in Böhmens Schrifften / monet, es müſte ſonderlich die Syllabe Sci betrachtet werden / welche mit Andrückung der Zunge an dem Gaumen formiret wird / dadurch die Außgeburth und Zerſchellung der Eſſentz bedeutet werde. Ejusmodi ignes fatui ſunt: Impreſſion die Verdickung der Ziehenz / Qualificiren / ſein Weſen und Leben erzeigen / Inqualiren / Mitwircken / Roehs, Wiederlich / Scharff / Matrix, woraus etwas entſpringet / Fiat, die Krafft etwas zu werden. Wer dieſes / judicat B. Dn. Seckendorffius in Additionibus des Chriſten-Staats p. m. 332. und dergleichen verſtehen will / muß die Paracelſiſche / von Böhmen vor göttlich ausgegebene / Nomenclatur lernen / und die Emanation oder den Außſchluß aller Geſchöpff aus dem göttl. Weſen glauben / welches dieſer Leute gröſſeſter Articul iſt / aller Philoſophiæ und Theologiæ geſunden Principiis zuwieder. Ich erinnere mich darbey zwar wol / daß der Cardinal Bona meinet / man ſolle ſich an die ſeltzame phraſes und Wörter der Myſticorum nicht ſtoſſen / dann GOtt könte ſie eingegeben haben / und hätte eine iede Wiſſenſchafft ihre eigene terminos. Aber es müſte vorher bewieſen ſeyn / daß außer der H. Schrifft / und ſonderlich des Neuen Teſtaments / darinnen GOTT durch ſeinen Sohn zum letztenmahl geredet / dergleichen ſchwere und dunckele termini, und zwar in dogmaticis, und nicht in Propheceyungen / von GOtt zu gewarten / und was ihr Nutze ſeyn ſolte; ſo müſten ſie auch

 zum

zum wenigſten nicht offenbahrlich NB. wieder die orthodoxiam anſtoſſen. SCINTILLULA CORDIS, fidei extrinſecus aſcitæ, & ex auditu provenienti, oppoſita, cujus reſpectu imago Dei ſecundum interiorem hominem dicamur. Omnibus omnium religionum animabus hæc ſcintillula creditur inſita & implantata. SCRIBÆ Novatoribus audiunt Orthodoxi, affanias eorum τὰς ἀντιγράφους taxantes: ſed & SCRIPTURARIA THEOLOGIA διαῤῥήδην & e diametro MYSTICÆ ab iisdem contradiſtinguitur. Arridet denuo epicriſis Seckendorfiana l. c. p. 325.326. Solchemnach/ denn zwar gewiſſe gradus der Gnade GOttes in der Stärcke des Glaubens und in dem Eiver der Liebe nicht gelaugnet werden/ insgemein aber erſcheinet/ daß die Predigt Göttlichen Wortes und die dadurch wirckende Krafft des H. Geiſtes das allgemeine/ richtige und gnugſame Mittel seyn müſſe/ wodurch alle/ auch die Einfältigſten und im Beruff gemeinen Standes ſtehende Chriſten/ obwol/ wie erwähnt/ nach unterſchiedlicher Maße der Liebe GOttes/ welche in ihr Hertz ausgegoſſen wird/ fähig werden müſſen. Daher dann die Theologi unſerer Confeſſion nach der Reformation, indem ſie bey dem Mönch-Leben den gerühmten Vorzug nicht gefunden/ von der durch die Mönche künſtlich außgeſonnenen und operoſen Art/ wie ſolche durch Contemplation im höchſten grad zu erlangen/ wenig mehr gehalten/ und lieber in den Schrancken der Apoſtoliſchen Schrifften geblieben; haben alſo von der Theologia Myſtica nicht viel Worte mehr gemachet/ auch dabey etliche Mißbräuche und Jrrthume angemercket; Jndem es überaus ſchwer fället/ den rechten Gebrauch von dem Mißbrauch/ nehmlich vom eingebildeten eigenem Verdienſte oder dem Enthuſiaſmo, das iſt/ unmittelbarer Erſcheinung und Erleuchtung/ und alſo von dem Schwarm des Weigelii und anderer alten und neuen Phantaſten zu unterſcheiden. Videas hic, ab unica norma & regula Verbi revelati tum Monachos Scholaſticos per affectatam ſublimitatem doctrinarum & κενοφωνιῶν οὐχ ὑγιαινουσῶν, tum Monachos Myſticos per affectatam ſublimitatem praxeos Pſeudo-Chriſtianæ, & ὑπὲρ ὃ γέ-

γεγράφαι confictæ, tanquam a via regia diſceſſiſſe, & ad grandium paroramatum divergia utrobique tandem fuiſſe divaricatos. SECESSUS eſt Solitudo animæ ſecretior, & præ nimia Contemplationis ſubtilitate ac ſublimitate ipſa divinitus ordinata, ac in Eccleſia diſpenſata media ſalutis poſthabentis, ab iisdem per γνῶσιν ψευδώνυμον, vulgaria reſpuentem ac negligentem, aut certe eorum haud indigam amplius ſeſe putantem, ſeparatæ, quin proprium corpus ne quidem pro comparte ſui, verum duntaxat pro nudo ſui organo ex Platonica hypotheſi agnoſcentis, & ſuper illud longius evectæ, atque alarum iſtarum ſubſidio imaginario longum evolantis. Hanc ſecretiſſimam mentis collocutionem cum Deo appellant viæ unitivæ defenſores. Gerſon animi extenſionem in Deum per mortis deſiderium nuncupat; alius per motionem anagogicam in Deum, alius per purum & fervidum amorem deſcribit. Redolent pleraque omnia faſtum ſeu ſuperbiam ſpiritualem, ſimplicitati & ignorantiæ, tum moraliter per vires naturæ, tum ſupernaturaliter per vires gratiæ ſupebili, identidem permixtam. SECTARISmus, Sectireren/ religionis etiam orthodoxæ profeſſio Symbolica ipſis etiamnum nominatur. Vetus cantilena Weigelii eſt, ab Hoburgio & aliis, numero pene infinitis, iterata, Chriſtianum non habere ſectam, verum in medio ſectarum habitare, quin publico earundem in cultu ita comparere poſſe, ut nulli earum adhæreſcat. SEMEN DEI videſis in Scintillula cordis; alibi Verbum Dei connatum, etiam implantatum gentilibus, qui id non audiunt, nec in cœtu Eccleſiæ degunt. SEPHIROTH quidam etiam Æonas vocant; alii partes certas Deitatis, imo integrum mundum Deitatis Aziluthicum. SOMNIA DOGMATICA, quæ ex tetro vaticinii Joëlitici abuſu ſibi arrogant cœleſtes Prophetæ noſtri. Rectius Lutherus: Unum ſunt, inquit, Prophetia, viſio, ſomnia; nempe Cognitio Dei per Chriſtum, quam Spiritus S. per Verbum Evangelii lucere facit. Nimirum apud Joëlem inſignis myſteriorum divinorum de humana ſalute intelligentia innuitur, phraſibus ex uſu & ſtatu V. T. petitis, in quo ſomnia Prophetica & exegetica magni pendebantur. Cæterum dogmatica, quibus ſibi ab-

blan-

blandiuntur fanatici, ſomnia manifeſte rejiciuntur, Jer. XXIII, 28. Cæterum acutiſſimi quidam hujus devotionis hyperbiblicæ æſtimatores ſomnia prorſus excludunt ab exercitio matæologiæ ſuæ ; & tamen vigilando pluſculum ſomniare non intermittunt. SOMNVM ſive Soporem potentiarum animæ dictitant, in iis inveniri, qui per introverſionem in ſemetipſos, per abſtractionem mentis ab omni lectione & meditatione, & per abrenunciationem atque exudationem omnis eruditionis, quiete & ſilentio ſacro Tereſiæ perfruantur. SOPHIA Gottfr. Arnoldo Sponſa Cantici Canticorum ; aliis Sapientia perſonalis extra Deum ſupremum ; aliis æterna JESU CHRISTI Humanitas; der Krafft-Leib GOttes / durch welchen die Gottheit wircket und ſchaffet / die ewige Jungfrau und Himmliſche Sophia. Cujus delirii recitatio eſt ipſa ejusdem confutatio. SPIRITUS multijugus & multifidus Spiritualium Fratrum ; jam nudus & imaginibus vacuus, jam univerſalis naturæ, exhalans ex Deo, jam ſpiritus mundi ; dieſer ſoll aus GOtt und GOttes ausgeſprochenes Wort ſeyn; jam alia neſcio quæ res, aut Chimæra. SUI IPSIUS AMISSIO RUSBROCHIANA eſt ſeptimus gradus amoris, quo beatitas in ſeipſa eſt, in ignota & modi neſcia caligine. SUPERRATIONALIS VOLUNTAS, culmen mentis, intellectus puriſſimus ; quandoquidem Viſioniſtæ voluntatem in intellectum transformant, quippe id negotii ſibi dari credentes, ut per notabilem ἑαυτομαχίαν omnia in ſemet ipſis turbent atq; commiſceant. SUSPENSIO derivatur ex interiore illa & ſuprema reſignatione, per quam ſpiritus omnino in Deum immergitur, & anima deperditur tota. SUSURRUS MYSTICUS, convenit cum locutione Myſtica, dem lieblichen Sauſen / dem Wörtlein aus der Ewigkeit / quod audientes Beguardorum & Beguinorum æmuli ad perfectionem toti orbi admirandam atque ſuſpiciendam ſeſe pertigiſſe arbitrantur. Vide de his *Binium* & *Caranzam in Concil. Vienn. ad annum* 1311.

T.

TENEBRÆ SUBSTANTIALES ET MATERIALES LUCI

OP.

OPPOSITÆ; ſemen Diaboli, oppoſitum ſemini divino. Principia nempe hæc duo a Quakeris in homine inveniri confinguntur. THEANTHROPUS ADAMUS PRIMUS, & THEANTHROPUS ADAMUS SECUNDUS: hic ante creationem rerum omnium; ille ad imaginem hujus conditus: quæ θεανθρωπία ſit ens medium inter τὸ creatum & τὸ increatum. THEOLOGIA CORDIS, conveniens cum Philoſophia adeptorum Platonica, vulgo Theoſophia, aut Theophiloſophia Theoretico-practica, imo Theopnevſtia; quandoquidem Deus ad cor loqui, & per inſpirationem hoſce adeptos illuminare exiſtimatur. TINCTURA SANGUINIS CHRISTI talis, per quam virtus creata & finita ex CHRISTO hodienum emanet, & usque in fundum animæ apud credentes penetret, eosque penitus immutet, ita, ut per illam in nobis generetur natura nova, & plane pura, idoneos nos reddens ad ſervandum omnia Dei præcepta. Dippeliani floſculi ſunt: per univerſalem tincturam Corporis & Sanguinis Chriſti ſemen Dei in nobis excitari, novum corpus luminoſum nobis indui, nosque in eſſentiam divinam intingi ac Deificari. Böhmiani vero: Adamum habuiſſe primum tincturam igneam et aquoſam, Martis ac Veneris; hanc poſtremam autem ipſi ademptam, & ſexui fœmineo datam; & hanc in tincturam Chriſtum factum eſſe hominem, imo hanc eſſe virginem virilem, neque marem, neque fœminam, in forma Deiformi. Ad quos quidem nodos ſolvendos Delius natator accedat, oportet. TRANSELEMENTATIONEM AC TRANSSUBSTANTIATIONEM IN CHRISTUM non verentur iidem de ſe prædicare. Fallor, an hoc nomine Aſſeburgicæ Virgini Chriſtus in idea virginis apparere viſus? Quæ quidem κενοδοξία B. Dn. Scriverium vel in lectulo ferali efflictim momordiſſe narratur. TRINUM ſalutant hominem, utpote tribus partibus eſſentialibus conſtantem, quæ ex tribus Sephiroth primariis emanent. Quin *Trinunum Jeſum* Stiefelius appellare non erubuit, partum ſubſtantiæ Trinunius. TRIPUDIUM cum Saltu, gradu quippe viæ unitivæ, concordat. Tale quid de ſe prædicant, prægustum vitæ æternæ non Verbi divi-

 ni

ni decempeda, ſed afflatuum inanium, a ſpiritu verſipelli immiſſorum, intemperiis metientes.

V. W.

VACUUM MYSTICUM, impetrabile cenſetur per media myſtica in homine ſatis habili ac diſpoſito, ſeu mavis, Enthuſiaſtice evacuando. Diſciplinaris enim tractandi modus in conventiculis iſtis duo ſuggerit media, orationem & mortificationem. Orationem triplicant, concelebrantes meditativam ſeu diſcurſivam, quæ intellectum connotet, affectivam, quæ voluntatem afficiat, & infuſivam, quæ evacuet & ad meram paſſivitatem redigat animal myſticum ſine omni renatorum cooperatione, a viribus gratiæ profectura. Mortificationem ponunt in evacuatione omnium ſenſuum, appetitus, memoriæ, intellectus & voluntatis, utpote ſeparabilium ab homine per mortem myſticam. VERBUM CRASSUM & CORPOREUM Autor Theologiæ Comparativæ pronunciat, quatenus atris in charta literis conſcribatur, externæ prædicationi ſubſtet, & ab irregenitis percipi nequeat, oppoſitum leni ſibilo Spiritus Sancti, quo extra Verbum corda regenitorum afflet, occupet, oppleatque. Alius hujus Scholæ Protomyſta mutilum & mancum iſtud manſiſſe credidit, usque dum David Joris veniret. Alius Epopta ſuppoſititius ita ſuam e cathedra ſententiam dicit: Das wahre Wort GOttes / welches der H. Geiſt ſelbſt ausſpricht / iſt das wahre original, da hingegen der Buchſtabe der Schrifft nur das Contrafait davon iſt; jenes iſt lebendig und kräfftig; das muß der Buchſtabe wol bleiben laßen. Quæ ſunt ſophiſmata Rathmanni, & ſtrophæ Schwenckfeldii. VIA, non illa, quæ Veritas & Vita eſt; ſed medium, ad Perfectiſmum homines dedititios manuducere creditum. Alii nuncupant tres ſtatus, quorum primus juxta Fenelonium, Archiepiſcopum Cameracenſem, alioſque (ecquis enim omnes ad unum conciliaret?) eſt viæ purgativæ, ubi contra vitia pugnatur per Amorem, qui mixtus ſit ex motivo intereſſato timoris propter pœnam infernalem: Alter eſt viæ illuminativæ, ubi virtutibus

ſtudeatur ex amore quodam intereſſato ob ſpem beatudinis æternæ: Tertius tandem, eſt viæ unitivæ & contemplativæ, in qua anima uniatur Deo per exercitium puri, tranquilli & quieti amoris. In hoc ſtatu non amitti creditur, nec filialis timor, nec ſpes, quæ eſt infantum Dei, quanquam derelinquatur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei. Hinc ſi Deus animas eo ipſo momento, quo e corpore migrant, aut privare viſione ſua, aut æternum tenere in tentationibus & miſeriis, iisque infernalibus, vellet, in ſtatu puri amoris illæ contentæ forent. Ita Salignæ. Mallem equidem fiduciali apprehenſioni ejus, qui eſt Via, Veritas & Vita, certitudo ſalutis æternæ, quam actui amoris, tribueretur. Sic enim ab amore Dei erga nos nec mors, nec vita nos ſeparabit. Si vero amori noſtro erga Deum fidere, & ſalutis noſtræ certitudinem ab illo ſuſpendere jubemur (ceu in anterioribus viſum) proxima hæc ad deſperationem eſt via. VIRTUTEM DEI IN ANIMA Haferizius, aſſecla Münzerianus, aſſerit ita producere fidem, ut illam ſolummodo a derelictione ſui ipſius ſubſtantia animæ vacua nanciſcatur, atque ita hæc ſubſtantialiter transformata Deificetur. VISIONIBUS referta ſunt ſanctulorum horum choragia. Proſtant exempla Baderiæ, Keilii, Kratzenſteinii, Kulmani, & oppido multa, quæ Arnoldi Hiſtoria hæretica divendit. VITA SUPEREMINENS eſt Phariſaica iſta perſuaſio, qua inſtar omnium turgebat Antonia Burignonia, exiſtimans, nullos Chriſtianos in orbe ſupereſſe, in ſola ſua perſona Eccleſiam ſervari, & per eam Chriſtianos denuo fieri, teſtante Defenſione relationis de ea ad Acta Erud. Lipſ. 1686. UNCTIO, non Johannea, ſed fanatica, gradus viæ unitivæ. UNIFORMITAS, UNITAS, Einheit / der Grund der ewigen Dreyheit / allwo das Wollen ſey der Vatter / oder die Bewegung der Einheit / da ſich die Einheit eröffnet / und in die Dreyheit will; die Luſt ſey der Sohn / die Liebe und Wolgefallen des Willens / dadurch der Wille empfindend werde; der Ausgang aber aus dem Willen ſey der H. Geiſt / als der beyden Leben. Ecquis, amabo, non oderit has de tam tremendo myſterio formatas ineptias næniasque? VOLUN-

TAS SUPERRATIONALIS omnes in homine vires tum naturæ, tum gratiæ, per Verbum & Sacramenta excitatas, longiſſime excedit. VOX SPIRITUS SANCTI lenis, tranquilla & ſubmiſſa, Verbo Dei revelato oppoſita, lenis auræ ſibilus, in orationum, cum mentalium, tum verbalium officia ſeſe diffundit. Weſenheit des Dreyeinigen GOttes / durch welche alles linguiret werde / durum ſonans Böhmiſtarum ἄκυσμα. Similiter in homine tradunt inveniri lucem eſſentialem, & caliginem eſſentialem; utramque a duobus iſtis principiis, bono & malo, dependere. Quæ ſunt tam priſcorum, quam recentiorum, Enthuſiaſtarum ideæ. Nihiloſecius Hoburgianus acyrologiſmus eſt, quo Weſen und Wißen ex immediatæ revelationis genio explicari conſueverunt.

X. Y. Z.

Συνυσιασμὸν harmonicum ab unctione derivant, rati, nullam Deo placere Muſicam, niſi cantum illum internum, qui ab hac unctione proveniat, ac vel membrorum externorum motum efficiat, uti in Trementibus Quakeris cernatur, vel interius in anima perficiatur. Hinc oriri opinantur die Eingeiſtung/ Entgröbung/Studierung/Langeweil / quorum & ſimilium actuum fanaticorum ratione ſeſe mutuo ſtatim agnoſcant hi fratres ad primum illico aſpectum, quantumvis antea ne quidem de facie notos. Sic nimirum τὸ ἓν πνεῦμα συναρμολογούμενον perverſe interpretari audent.

Ὑπερθεολογία & ὑπερκατάληψις Apex mentis Platonicus, Illuminatorum πρῶτον ψεῦδος eſt, hactenus a nobis ſæpius taxatum, ſupereminens nempe contemplatio, außer und über den Glauben ein anderes Empfinden geiſtlicher Dinge. Unde tot hyperbiblicæ imaginationes ac devotiones omnium ſeductorum, & erronum fanaticorum, ad inſtar clibani ardentium, & Chriſtum cum tot gemitibus inanibus extra Chriſtum quærentium, dum eundem extra Verbum quærunt, ſibique connatum atque ingenitum arbitrantur, & Verbum Dei deſerendo proprias ſequuntur ſpiritualitates. Unde tot ſeductores, in humilitate & religione Angelorum ambulantes, Coloſſ. II, 18, 19.

ZELUS & exæſtuatio Pſeudomyſticorum ſumma, cum arrogantia incredibili ac defatigatione pluſquam Phariſaica ſubinde conjuncta, verbis Gerſonis, Myſticorum non ultimi, commodiſſime ad calcem hujus Alphabeti exprimetur. Sicut, inquit, ex carentia pii affectus, & magis ex infectione ejus per vitia, errant nonnunquam periti iſſimi in literis ſacris; excœcavit enim eos malitia eorum, & dati ſunt in reprobum ſenſum: Ita & porro lumine intellectus, & parva inſtructione in ſtudio literarum, etiam ſecularium quandoque, præſertim in Logica, prolabuntur aliquando in errores periculoſiſſimos illi, qui magnorum ſunt erga virtutes affectuum; quales Apoſtolus vocavit *habere zelum*, *ſed non ſecundum ſcientiam*: adeo, ut, ſi non humiliter ſapiant, &, niſi ſeſe contrahant intra metas ſuæ cognitionis, nulli pertinacius inveniantur, neque abſurdius errores confingere. Hactenus Gerſon. Sed omnes immodici æſtus iſti parva confutari poſſunt trua, dummodo analogiam fidei tenentes, juxta canonem noſtrum Biblicum incedamus, & neque dextrorſum, neque ſiniſtrorſum nos inde dimoveri patiamur. Nihil eſt reliquum, niſi ut reducam ea, quæ hactenus diſcentium in gratiam alphabetica ſerie recitavi, ad lineas perbreves memoriales. Illud igitur manet evidentiſſimum, tum Theologiam Myſticam, tum perceptionem Myſticam, hoc eſt, arcanam quandam Dei in hominis cujusdam anima operationem, ſeſe mutuo reſpicere, & perinde connotare, ac habitum & actum, ex habitu emanantem. Fruſtraneum enim omnino erit, ſi quis hanc cum verbis, a Paulo in tertium cœlum rapto perceptis, quæ non fas ſit hominem loqui, conferre voluerit, aut eos, qui has Myſticorum perceptiones, ab ipſis Myſticis expreſſas, quas tamen exprimere non poſſint, inſimulare amoris inordinati, & abſurditatis manifeſtiſſimæ non erubuerit; id quod *Autor Chriſtianiſmi illuſtrati* facit. Etſi enim Weigelius omnibus contradictionibus ac diſputationibus, ex Verbo Dei petitis, ſeſe multo ſuperiorem autumat; tamen Verbum Dei ipſum judicat, dum formam ſanorum verborum & analogiam fidei ſequi, propriam vero & privatam ſolutionem Sermonis Prophetici fugere

Chriſtianos ad unum omnes jubet. Valeant proinde abſurditates Pſeudomyſticæ; quandoquidem pervertunt ac transvertunt utplurimum א) SCRIPTVRAM IN NON-SCRIPTVRAM. Sunt quippe hæc dogmata in veritatem divinam, dum ſpecies omnes, ſub quibus ſe Deus in Verbo ſuo revelavit, cum Pſeudo-Dionyſio figmenta ſacra & figuras ſymbolicas vocant, injurioſa: ב) FIDEM IN NON-FIDEM. Mutant quippe ejus notitiam in ignorantiam, aſſenſum in negationem, ac deſtruunt fiduciam per totalem reſignationem omnemque ſpei & voluntatis etiam renatæ abnegationem. ג) AMOREM DEI IN NON-AMOREM. Eſt nimirum hac in vita minus poſſibile, Deum, uti in ſe eſt, ſine omni ſpe, metu, delectatione & reflexione ad nosmet ipſos, & ſine omni habitudine ad ea, quæ in nos contulit, beneficia amare, quatenus contra veritatem & fidelitatem ſuam pœnitentes peccatores damnare poſſe, adeoque minus amabilis eſſe, fingitur; aut tandem ita amare, ut ea non ſimul amentur, ad quæ ille nos creavit, redemit & ſanctificavit, ſicque rectum ſui & noſtri amorem indiſſolubiliter conjunxit. Quin opus eſt, amemus nos propterDeum; non Deum propter nos,ſed ſupra nos, & magis, quam nos. Una amoris noſtri erga Deum modificatio non debet evertere alteram. Quin beatitudinis æternæ deſideriumab amore erga Deum nullo modo eſt ſeparabile. ד) NOTITIAM DEI ABSTRACTIVAM IN NON-ABSTRACTIVAM. Volunt enim Diſſentientes in ſtatu viæ absque ſpeculo & ænigmate Deum intueri, quod tamen ne Paulo quidem contigit. ה) VERAM RELIGIONEM IN NON-VERAM. Infeſta enim ſunt hæc ἀκόσματα veritati puritatique religionis, eo, quod omnem diſtinctam Dei cognitionem, qua vera religio a falſa dirimitur, tollant, & fidem mere confuſam, indiſtinctam, generalem & negativam, quam omnes ex æquo admittere poſſunt, adeoque univerſalem cum omnibus hæreticis, Turcis, Judæis, & infidelibus Syncretiſmum, inferant. Faceſſat itaque omne (quantumvis impuritates Pſeudomyſticæ gradibus ſuis differant) etiam Fenelonianum, quod cæteris Myſticis contradiſtincta, ad ſummum perfectionis gradum per amorem purum ſtrata, via breviſſima putatur, ab *Autore Chriſtiani philoſophantis* ita dictum, iniquitatis myſterium.

EPI-

EPILOGUS

exhortatorius ad diligentiorem ἀποτομίαν πολιτείας Chriſtianæ, cum fuga ſcandali tuendam.

MIremur hunc zelum; ſed & repudiemus atque averſemur ἀζηλίαν. Eousqve nimirum illa proceſſit dementiæ, ut ex nobis prodierint hujus ſectæ diſcipuli, qui vel purgatorium incruſtare magno niſu ſtuduerint. Reſtat, ut hinc illam combibamus admonitionem, & hoc apud animum altius expendamus poriſma: Si *Magiſtri illi* præjudiciis ſuis Phariſaicis defendendis tantam inſumunt operam, tantum impendunt ſtudium & laborem, tantam impertiuntur æmulationem & vigilantiam; cavendum, ne nos in die judicii in ruborem dent, qui cauſæ noſtræ orthodoxæ, & vitæ huic convenienter tranſigendæ, ſæpe ne dimidiam quidem illorum conaminum religioſorum partem in nos recipimus. Legimus adhuc Alphabetum & Vocabularium Pſeudomyſticum; eheu! Alphabetum Pſeudo-Chriſtianum nullibi fere non increbeſcit. Noſtra quidem Eccleſia Lutherano-Evangelica non indiget aliquo Drexelio, de vitiis linguæ orbis Phaethontem alphabetice repræſentante, & bene multa ſatis utiliter perſtringente. Quin epanorthoſi hac ambones noſtri & ſubſellia Orthodoxorum undiquaque perſonant. Rumino, quod innui. O vos Pſeudo-Chriſtiani, ob hypocriſin inveteratam, ob ſecuritatem conclamatam, & extremam vitæ improbitatem ita vocandi, credite, hos Phariſaicos & coecos coecorum Duces, pietatis ſiniſtræ æmulos, in die iſto vos coram πανδήμῳ theatro accuſaturos éſſe, eo, quod in tanta Evangelii luce, durante tempore gratiæ, tam pertinaciter ac proæretice in tenebris ambulare ac perſeverare malueritis. Etenim ſi iſti ſervi ab impietate vitæ, paſſim invaleſcente & mundum noviſſimum impenſius opplente, ad alterum extremum, auream ſupergreſſi mediocritatem & limites in Verbo Dei poſitos derelinquentes, judicium DOMINI, cui ceciderunt, nequaquam ſubterfugient; ecquid, amabo, de profanis illis fiet, qui ſcandala furenter æmulantes, mundumque diligentes & colentes, Satanæ miniſtrarunt, tenebrarum Principi? Tanto gravius omnino hos manet judicium, quanto magis perſpectam & exploratam habent voluntatem Domini, & tamen hanc vilipendentes tanto contumacius ceſpitant, hallucinantur, & ſine ulla vitæ emendatione mōres ſuos Dabolicos & occalleſcentem peccandi conſuetudinem immutare detrectant. Ipſorum zelus ac fervor veſtrum, o ſervi maligni, accuſabit teporem, ipſorum vecordia veſtrum, niſi in tempore abjiciatur, ſocordiam, ipſorum vigilantia veſtrum veternum. Noſtrum eſt cum timore ac tremore ſalutem operari. Neque enim adiaphoriſmum moralem admittunt præcepta Chriſti; neque virginum fatuarum, oleo fidei carentium, veternum approbant; neque etiam jocoſeria Melandri æquiparant ea Verbi divini monita, quæ tum ad fidei ſinceritatem, tum ad vitæ integritatem attinent, quæque citra beatitudinis æternæ jacturum non poſſunt ſusquedeque haberi. Salva nos, DOMINE, quoniam defecit juſtus, & vere fidelium magna datur inopia inter homines. Multi paſſim obambulant Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, multosque ſeducere laborant.

Actum eſt! dum in mundo doctrinæ plura feruntur
Scandala, dum vitæ ſcandala plura vigent,
Phoſphore, pande diem extremum; quid noſtra moraris
Gaudia? Luciſator Phoſphore, pande diem!

Myſtica

MYſtica progenies, quid non mortalia cogis
Pectora, & in barathrum præcipitanter agis?
Myſticum Alexandri Clemens vocitatus ab urbe
Id dixit, Samius quod tulit ipſe Senex;
Et quod ab Ægypti teletis didiciſſe juvabat,
Dum circumciſus verba ſevera dedit.
Gnoſis at Angelico cultu ſuper emicat aſtra,
Bibliaque innumeris vult ſuperare Logis.
Purus amor, ſummi benefacta prehendere Amantis;
Purus amor, ſummum ſic redamare Deum.
Si nos diligimus, minus eſt, quod amaſſe juvabit;
Ergo ſupra noſmet Numen amare decet.
Diſſeris hæc noſtro moderamine, *Fautor amande*,
Et Malebranchiadæ dicta ſequenda putas.
Optans ætherei mitem Tibi Flaminis auram,
Mille Tuis Muſis emolumenta precor.

PRÆSES.

THE ALLAN LIBRARY